Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Erich Wordenhoff

Enchiridion, In quo Summa & praecipua doctrinae Christianae capita ad sacrae scripturae normam & verae pietatis usum conformata breviter & dilucide explicantur

Hamburgi: Demler, [1657]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0001
DFG

Ded. Ind. Introd. 622 p F.h.

52a. 13.

C 344

F.h=3211.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786513969/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786513969/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0006
DFG

ENCHIRIDION,

In quo

Summa & præcipua doctrinæ Christianæ capita ad sacræ scripturæ normam & veræ pietatis usum conformata breviter & dilucidè explicantur.

Authore

ERICO Wordenhoff/L.

HAMBURGI,

Impensis Authoris,

Excudebat CHRISTOPHORUS DEMLER,

ANNO LVII.

Augustinus.

UTile est plures libros à pluribus fieri, diverso stylo non diversa fide, etiam de qvæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa, qvæ orthodoxè tractatur, pervenire possit.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0008
DFG

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis & Prudentissimis Viris, Dnn. Coss. Syndicis, Senatoribus ac Secretariis Inclytæ Reip. Hamburgensis, Dominis, fautoribus, collegis atq; amicis suis omni observantia honorandis

S. D.

ERICUS Wordenhoff/ L.

Cum omnes homines, quamdiu potestatem præsenti vita fruendi illis Deus concedit, ad veritatis agnitionem, qva eos in spe vera & aterna vita foveat, tanqvam ad metam collimare debeant, Christiano nomine indigni censendi sunt, qvi aut scientia, aut arte aliqva, unde victitent, contenti, cælestium rerum notitiam, qva ad salu-

tem pervenitur perfunctoriè sectantur, vel etiam penitus negligunt. Neq; enim major in nobis ingratitudo reperiri potest, quam in uno Deo, qui nos non modo creavit, finxit, & paternè in hac vita alit, & custodit, sed etiam indesinenter ad hæreditatem regni cælestis vocat, cognoscendo omnes ingenii nervos non contendere. Revera pueris comparandi & similes sunt illis, qui in tempore consilium salutis non capiunt, deq; rebus seriis, unde pendet salus nostra, nihil certi statuunt. Deus autem à nobis cognosci non potest, nisi ex verbo suo per Prophetas & Apostolos tradito, quod est sanctus ille sermo & verax, quem excipi ab omnibus decet, non pro sermone hominum, sed (sicut est verè) pro Dei sermone, qui efficaciter & potentissimè agit in iis, qui credunt, fructumq; sui uberrimum

mum & praſtantiſſimum non ſolum ad nos, ſed etiam ad univerſam generis humani ſocietatem per totum terrarum orbem, invitis & repugnantibus Sathana ac omnibus ejus miniſtris, affert. Illud verbum omnium optimè nos inſtituit & docet de rebus ſacris, de mundi creatore & creatione, de providentia Dei circa hominem & regimen orbis mundani, de omniſcientia & omnipotentia, de beneficiis & judiciis Dei ſumma cum gratitudine accipiendis & veneratione attendendis, de juſtificatione per Chriſtum omnium Salvatorem, de Domini voluntate Sacroſancta, de fuga & prohibitione malorum, de cultu vero ſummi boni, de vita aterna beata ſanctis, impiis infeliciſſima. In illum enim finem potiſſimum nobis propoſita eſt Sacra ſcriptura, ut ex ea diſcamus, qua

nobis ad salutem sunt necessaria, & agnoscamus Christum, in cujus agnitione vera nostra felicitas & vitæ æterna hæreditas consistit. Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere, est transilire mortalitatem nostram, & transcendere mentes nostras, ut attingamus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascitur Israel in æternum veritatis pabulo, & ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt. Aliæ revelationes aut illuminationes non sunt quærendæ, neq; de cælo expectandæ, sed ad verbum, quod sacrarum literarum monumentis conceptum & consignatum audimus & legimus, cum peccatorum & maleficiorum conscientia animum nostrum fodicat, agitat, vexat, & angit, respiciendum, & firmissimè credendum, promissiones in genere propositas

tas credentibus verè quoq; ad nos pertinere, ut Deus à nobis unanimiter glorificetur, & in illius laudem ac beneficiorum celebrationem omnium nostrum corda & linguæ conspirent & concinant. Confert non minus sacra scriptura ad nostram eruditionẽ vitæq; institutionem, & quotquot quis dixerit bona, in ea reperiuntur. Evellit enim mala, & inserit bona, fugat malitiam & bonitatem inducit, passionum spinas extirpat, & puram tellurem reddit, semina pietatis dimittit, & ad vigorem agit. Præterea cum multa & innumera mala nobis quotidiè accidant patienter ferenda, ea æquo animo à nobis tolerari non possunt, nisi spe ex scripturarum lectione & consolatione hausta & accepta confirmatis. Sic nihil Spiritus Sanctus docuit, quod non nostra referat, & ad profectum pietatis tendat

& dirigatur, siquidem omnis scriptura utilis est ad docendum capita sive articulos fidei, ad arguendum errores circa fidem, ad corripiendum peccata morum, ad erudiendum in justitia, ut homines justi fiant, sanctéque vivant ad omne opus bonum parati. Ego sanè, cum ante paucos annos gravissimum ex uxoris meæ, quam curarum domesticarum & vitæ meæ sociam usque ad ejusdem exitum me habiturum speraveram, obitu luctum perciperem, nihil prius, nihil antiquius habui, quam ut malo meo & vulneri ex diligenti, seria, & attenta sacrarum literarum lectione medicinam quærerem & consolationem hauirem. Quam illa mihi non solum abundè & egregiè præstitit, verum etiam animum luctu ac mœrore torpentem excitavit ad ulterius inquirendum in divina ejus mysteria & sedu-

la

la meditatione in Christi *cognitione proficiendum, &, hunc meum conatum & susceptum in Domino laborem non fuisse irritum, re ipsa expertus sum. Quo nomine Deo Omnipotenti maximas gratias ago, quod mihi hanc mentem dederit, ut ex nulla alia re potius, quam ex divinarum literarum studio solatia peterem, in nulla libentius acquiescerem, eundem, ut me & omnes credentes in ea ad finem usq; vitæ conservet, ex mente animi precor. Interea dum hoc ago mei ipsius informandi & juventutis commodo consulendi causa ex sacris scripturis & Patrum ac probatissimorum Theologorum meditationibus atq; monumentis summa doctrinæ Christianæ capita excerpta in hunc libellum congessi, ut semper ad manũ essent divinæ sapientiæ studiosis. Quem Vobis, Magnifici, Nobilissimi,*

Amplissimi, Clarissimi, Consultissimi, Prudentissimiq; Viri, inscribendum ac dedicandum censui, cum ut meam erga vos observantiam illustri aliqva significatione declararem, & apud animos vestros testatam relinqverem, tum etiam, ut otii mei rationem vobis, qvibus & negotii & otii mei ratio constare debet, redderem, non qvod illum vobis usui futurum existimem omnium liberalium artium doctrinis, & qvod caput est, pietate non leviter tinctis, sed penitus imbutis. Verum ut à vobis Magnifici ac Amplissimi viri benignè admissus & receptus amplissima vestræ dignitatis authoritate qvasi per manus vestras juventuti nostræ commendaretur, qvæ hisce ac similibus præceptis informanda est, ut malum à bono secernere discat, & pietatis semina-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0016
DFG

naria imbibat. Hunc meum laborem si pro vestra aqvitate probaveritis, zoilos ac iniqvos censores non est, qvod timeam. Qvod superest, Deum Omnipotentem rogo, ut & Remp. nostram, & vos ejus Antistites qvam diutissimè sospites ac florentes esse velit. Dabam Hamburgi ipso die Bartholomæi Apostoli, Anno 1657. ætatis meæ 72.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0017
DFG

INDEX EORUM, QVÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTUR.

Introductio ad Fidem Christianam.
De vera sapientia & religione. *Cap.* 1.
De Deo & Sacrosancta Trinitate. 2.
De Causis boni & mali. 3.
De lapsu Angelorum. 4.
De lapsu hominum. 5.
De Christo Mediatore. 6.
De Justificatione. 7.
De Baptismo. 8.
De cæna Domini. 9.
De Spiritu Sancto. 10.
De Ecclesia. 11.
De Lege. 12.
De Evangelio. 13.
De Ministerio Verbi. 14.
De potestate clavium. 15.
De Pœnitentia. 16.
De Fide justificante. 17.
De bonis Operibus. 18.
De Spe & Charitate. 19.
De Eleemosynis & Jejunio. 20.

De

INDEX.

De Cruce & calamitatibus. *Cap.* 21.
De Oratione. 22.
De remissione peccatorum. 23.
De magistratu. 24.
De Conjugio. 25.
De Scandalo. 26.
De Prædestinatione. 27.
De morte temporali. 28.
De resurrectione mortuorum. 29.
De signis præcessuris novissimum diem. 30.
De Extremo Judicio. 31.
De Morte æterna. 32.
De Vita æterna. 33.
Epilogus sive conclusio operis.
Tria Fidei Symbola.
Oratio pro impetranda remissione peccatorum.

Introductio ad Fidem Christianam.

PRaeliminariter sciendum, quoniã impossibile est placere Deo sine fide, credere nos oportere accedentes ad Deum, quod sit, & inquirentibus se ac cultoribus suis remunerator sit spes precesq; fidentum sibi latũ ducens ad exitum. Corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem. Non potest autem homo interior secundum intellectũ Deo servire, & ore ac opere Christum confiteri Dominum, nisi prius per verbum prædicatum illuminetur, & fidẽ, quæ ex verbi divini auditu est, recipiat. In eum finẽ sancta catholica Dei Ecclesia proposuit tria symbola Apostolicum, Nicænum, & Athanasii, quorũ primum factum est ad fidei instructionem, secundum ad fidei explanationem,

nem, & tertium ad fidei defensionem, ut quilibet vere Christi discipulus exinde discat, quid, cui, & in quem credendum sit. Credimus Deum credendo, quod ipse sit Deus, credimus Deo credendo vera esse, quæ Deus loquitur, & his modis mali quoq; homines & dæmones credunt. Sed credere in Deum est credendo Deum amare & diligere, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari, quomodo servi Dei fideles se credunt esse coheredes & participes promissionis dispensatis & constitutis temporibus impletæ per Christũ, per quem fit, ut omnes, qui in cælis & in terra sunt cognatione una spirituali conjungantur, & ipso existente lapide angulari in domum, habitaculum ac templum Dei coaptentur & coædificentur. Per fidem in Christum Filium Dei habemus fiduciam & aditum

tum ad Patrem, & signamur sancto promissionis Spiritu, qui est pignus hereditatis nostræ habitans in cordibus nostris, & testificans de redemptione nobis acquisita juxta beneplacitum voluntatis Dei, in laudem ac gloriam gratiæ suæ, qua gratos nos sibi reddidit per Christum dilectũ suum. Fide credimus Deo promittenti nobis bona sua propter Christum reconciliatorem & Salvatorem nostrum, & Sacramentis, quæ sunt sigilla gratiæ Dei, Symbola confessionis nostræ, & notæ veræ Ecclesiæ agnoscentis & confitentis Deum juxta verbum ab ipso revelatum, ea singulis applicantur. Sine fide in Christum nec auditus Evangelii, nec externus usus Sacramentorum quicquam prodest. Non enim salvant opera operata, sed Christus est fons vitæ, ex quo fluit omnis virtus Evangelii & Sacramentorum.

Christus

Christus mortuus & resuscitatus est author nostræ resurrectionis & vitæ, qui credit in illum, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis, qui vivit & credit in illum, non morietur in æternum. Hæc est illa fides, quam Deus à nobis exigit, à qua tanquam bona arbore boni fructus procedere debent oris confessio, & voluntatis divinæ impletio. Cum enim Deus sit primũ, summum & optimum bonum, & duo prima, summa, & optima esse non possint, ideo tantum unus, ante quem non est alius Deus, omnipotens & omniscius, creator & conservator omniũ, atq; redemptor humani generis, merito ipsi soli à nobis debetur summus timor, amor, honor, laus, & gloria. Timendus Dominus Deus justißimus Judex noster, qui nos creavit ad imaginem suam, ut, quæ ipse vult, & nos velimus. Amandus Pater

noster

noſter cæleſtis, qui prior dilexit nos, & dedit nobis ob delicta noſtra commeritis mortem æternã unigenitum Filium ſuum, & cum illo vitam ac omnia. Honoranda tota ſancta Trinitas verè digna omni honore ac gloria in ſecula ſeculorum propter ſummam benignitatem & miſericordiã, quam erga nos habuit, & adhuc quotidiè oſtendit. Rectè autem Deum timemus, perfectè diligimus, & eo, quo par eſt, modo honoramus, ſi non ſolũ ipſum Deum & Dominũ confitemur, ſed etiam mandata ejus firmiter cuſtodimus, & ambulamus, quẽadmodũ Chriſtus ambulavit. Elegit enim nos Deus per copioſam miſericordiã ſuam, & prædeſtinavit in adoptionem filiorum ante conditum mundũ, ut ſimus ſancti & irreprehenſibiles in conſpectu ipſius per charitatem, & accingamus nos ad bona opera,

quæ

quæ Deus præparavit, & nobis patefecit, ut in illis, credentes in Christũ, ambulemus. Si dixerimus nos societatẽ habere cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritas non est in nobis. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse in luce est, societatem habemus ad invicẽ, & sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. In peccatis perseverantes verã fidem non habemus, neq; securum ad Deum accessum: mandata vero Dei servantes ingredimur vitam æternam. Qui enim voluntatem Dei facit, manet in æternũ. Idcirco cor nostrum totum Deo consecrandum, ut ipse sedeat in eo tanquã Rex in throno suo, & intellectus, appetitus, ac voluntas nostra in ipso uno figantur & requiescant. Quamdiu res aliqua externa vel creatura nos retinet, & inordinata affectione ad se trahit.

trahit, non possumus liberè mentem ad Deum elevare. Refugientes vero à corruptione, quæ est in mundo per concupiscentiam, efficimur verè liberi, Domini, & rectores actionum nostrarum, atq; naturæ divinæ consortes per cognitionem Dei & Christi Jesu Domini nostri, per quem nobis pretiosa & maxima promissa donata sunt. Remittuntur enim nobis peccata nostra propter ipsum, gratia, misericordia, pax, ac charitas Dei in nobis multiplicantur, & vitæ æterna hæreditas ad nos defertur. Sicut Deus Spiritus est, ita & interior noster homo, scilicet anima, est Spiritus habens à Deo Patre potentiam, ut peccato resistat, à Deo Filio sapientiam, ut sapienter fugiat, à Deo Spiritu Sancto voluntatem liberam, ut eligat bonũ & vitet malum. Propterea quoties cunq; homo mandata Dei vel per impotentiam

potentiam præ timore, vel per ignorantiam existimans se benè facere, vel scienter ex malitia transgreditur, in totam Trinitatem peccat, & quidem mortaliter. Apostolus Petrus ex timore, Paulus ignoranter, Judas scienter ac malitiosè peccarunt, & præsentem gratiam amiserunt, quam Petrus & Paulus panitendo recuperarunt, Judas in imagine sua perdens similitudinem sanctæ benedictæ Trinitatis ad nihilū est redactus. Quod idem cuilibet Christiano accidere potest mandata Dei non custodienti, quæ custodire non poterit, nisi ex Decem præceptis ea cognoscat, comparata prius scientia fidei, quæ in prædictis tribus symbolis articulariter continetur Evangelio, quod est sanctus ille sermo, quo Deus, qui potens est, nos salvos facit, conformis. Fide

vero

vero & mandatis Dei cognitis dignè ad Deum pro æterna beatitudine & mediis, quæ ad eam ducunt, orare potest. Sic servi dominorum hujus seculi fidelitatem spondent, deinde mandata sibi injuncta perficiunt, & post impletionem mandatorum dato tempore & occasione supplicant pro mercede. Quanto magis servos Regis regum & Domini dominantium, qui nos servos habet ad nostram, non ad sui indigentiam, & cui servire regnare est, decet accedere Regem ac Dominum suum per fidem, ad quam requiritur fidelitas, & ad fidelitatem observantia mandatorum ejus, quibus rectè & sanctè observatis possunt pro remuneratione Dominum suum implorare, ut det ipsis promissam vitam æternam? Confitentes injustitiam & infirmitatem nostram & credentes in Deum, qui misit Filium suum in mundum, ut vivamus per eum, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus verum Deum, & simus in Filio ejus, qui est verus Deus & vita æterna,

na, justi à Deo pronuntiamur, & peccata nobis non imputantur. Omnes enim filii Dei sumus per fidem, quæ est in Christo Jesu, vocati à Deo vocatione sancta non secundum opera nostra sed secundum propositum ejus & gratiam, nobis datam in Christo Jesu ante mundi constitutionem, manifestatam per apparitionem Salvatoris nostri, qui mortem destruxit, & vitam atq; immortalitatem per Evangelium suum nobis revelavit. Qui præter hanc justitiam Dei, qua justificamur coram ipso credendo in Christum aliam extruere ac stabilire quærunt, in lapidem offensionis lædentem se impingunt, nec remissionem peccatorum neq; vitam æternam consequuntur, sub imperio ac potestate incredulitatis constituti, donec cognita eorum, ad quos hactenus se applicarunt, lacuum faditate, & rubore perfusi sitiant verum misericordiæ & vitæ fontem, atq; obedientes Evangelio vivant in fide Filii Dei, qui passus est pro nobis, & reliquit nobis exemplum, ut vestigia

ejus

ejus sequamur. Si commorimur, convivemus, si sufferimus, simul regnabimus, si negabimus. & ille negabit nos, si non credimus, ille tamen fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Nos autem gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem reconciliationem accepimus, & gratia Dei vitam aternam in ipso expectamus. Nihil enim damnationis est fide cum Jesu Christo conjunctis, qui non secundum carnem sed spiritum ambulant, liberati per Christum à lege mortis & peccati, ut jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, & Deum in omnibus glorificent, cui sit gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

DE

DE VERA SAPIENTIA ET RELIGIONE.

CAPUT I.

VIvendi rectè fons est, & sapientia prima cognitio colendi veri Dei, & verus Dei cultus, sive pietas habens promissiones hujus & futuri seculi. Cognitio præcedit, religio sequitur: quia prius est Deum nosse, consequens illum colere & deferre creatori nostro studium ac reverentiam, illique subditum esse. Nosse Deum consummata justitia est, & scire virtutem ejus radix immortalitatis, sed vera Dei scientia non nisi à veris Dei cultoribus possidetur. Qui enim Deum per fidem rectè agnoverunt, rectè quoque colere possunt, & invocare, de quo audiverunt, & in

quem credunt. Cum malè vivatur, si de Deo non benè creditur, à Deo discendum, quid de Deo Deique voluntate statuendum sit, quia Deus non nisi Deo Doctore cognoscitur. Revelavit autem Deus & cognitionem sui, & divini Nominis sui cultum atque venerationem certis legibus cæremoniisque devinctam in verbo suo veteriae novo testamento, utriusque author. Per illud docet homines scire Deum, qui genus humanum, cum non esset, potenter ut omnia, in primo Adamo condidit, & sua culpa in mortem prolapsum propter Filium suum misericorditer in gratiam recepit, nova gratia, sapientia & justitia donavit, divina sua protectione munivit, & de morte ad vitam revocavit. Harum rerum & beneficiorum umbræ absconditam intus habentes veritatem in veteri testamento proponuntur, ut populo Dei semper in conspectu essent, in novo Christus ipse, qui homo factus sustulit peccata mundi, mortem no-

nostram sua morte destruxit, & æternæ salutis hæreditatem nobis acquisivit & donavit, exhibetur: In utroque norma Deum ritè colendi & benè vivendi, ut illorum participes fieri possimus, præscribitur. Quicquid ab illo verbo discrepat, & tramite ejus deflectit, constanter reijciendum. Nam sacrosanctæ scripturæ authoritas columna & fundamentum est fidei nostræ, adeoq; norma & regula omnium eorum, quæ Christianæ religionis sunt propria, de Essentia Dei nos rectè docens, & voluntatem ejus planissime exponens, ut inde cognoscere possimus, quis & qualis sit, & quomodo coli, ac pœnitentibus peccatoribus reconciliari velit. Natura dictat, cælum & terra clamant Deum esse, sacra scriptura verum Deum demonstrat, supplens omnem naturæ & creaturarum defectum, & sufficiens credentibus eam. Sine dubitatione ambulant, quamdiu in Domino peregrinantur, neque ad humanas superstitiones des-

cendunt, Patris æternæ sapientiæ dictis de se ipso credentes, & Deum ita colentes, quemadmodum secoli velle in sanctis Prophetarum & Apostolorum scriptis, quæ canonicæ appellantur, patefecit. E quibus cum puras liceat haurire aquas, lutosam quis malet? Symbolo Apostolico, Nicæno, & Athanasiano perspicua brevitate Christianam fidem complectentibus credimus propter scripturam sacram, quatenus eam ut filum Ariadnæum sequuntur. Sacræ scripturæ sine ulla recusatione debetur consensus propter se ipsam, quia divinitus est inspirata, & unius veri atque veracissimi Dei Spiritu humano generi ministrata. Alia omnia argumentis & testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, ut quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Non solum attendendum sacris literis, sed res etiam ipsæ degustandæ, & sacratiores sensus percipiendi sunt, quibus inhærere,

rere, est in firma ac valida petra domum suam ædificare. Habet enim scriptura peculiarem vim & efficaciam à suo authore Deo Optimo Maximo, & inseparabilem comitem Spiritum Sanctum, operantem per ipsam, utpote suum ipsius verbum, & loquentem in nobis in veritate ambulantibus, & in simplicitate cordis nostri semper ipsum quærentibus. Multa obscuritas in scripturis Propheticis, sed si manu quadam mentis scripturarum januam pulsemus, aperiturnobis non ab alio, quam Dei verbo. Nihil enim in ijs tam obscurum, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. Quia Christus pro omnibus mortuus est, ab omnibus quoq; cognosci, ab omnib⁹ coli, ac adorari, & divinam suam doctrinam, per quam se quæri, & per quam sibi credi vult, omnium philosophorum inventis & præceptis multo antiquiorem, nobiliorem, & humano generi fructuosiorem, omnemque rhetorum dicendi facultatem excedentem quam

la tissimè propagari desiderat. Falsæ & profanæ religiones sub involucris verborum proferuntur, ijsdemque teguntur, ut abstrusæ majori sint admirationi, & stolidum vulgus sua natura proclive ad superstitionem vel solus rerum divinarum prætextus capiat, & in errorem deducat. Vera amat intelligi, & sacræ scripturæ ita proditæ sunt, ut citius percipiantur ab idiota pio modestoque, quam ab arrogante Philosopho. Gaudet enim Deus se revelare parvulis, simplicibus & humilibus, gaudet eligere id, quod infirmum est, & stultum coram mundo, rejecta & reprobata sapientum hujus mundi turba, qui, licet in superficie sapientes videantur, medullitus tamen veritatis arcana non tangunt. Cum animæ nostræ amor verbi cælestis infunditur, & rationi mens sancta quadam societate connectitur, admiranda ejus mysteria revelantur, quæ contempta pravis, impiè sapientibus occulta Dominus luce profert sua, docens

cens se quærentes sacrosancti fœderis scientiam, quæ sola vitæ beatæ dux & regula est. Petenti enim datur, pulsanti aperitur, & nemo invenit, nisi qui antea quæsierit. Non ex scripturarum lectione, sed earum ignoratione variæ & incertæ opiniones oriuntur, hæreses nascuntur, vita corrumpitur, & omnia sursum ac deorsum feruntur. Ignorantia si non facunda, saltem multis opinionibus & erroribus fœcunda est: Veritatis vero simplex oratio. Omnis autem veritas in divinis scripturis quærenda, quas scrutari nos oportet, & pro norma fidei habere, ut probare, Spiritus, an ex Deo sint, & de æterna nostra salute certi esse possimus. Perhibent enim testimonum de Christo Salvatore mundi, & vitam æternam promittunt, si obtemperemus DEI mandatis, ijsdemq; nihil addamus vel detrahamus. Præter hoc verbum, quod Deus per Moysen & Prophetas prolocutus est, & Apostoli à Christo traditum & acceptum per totum orbem

sparserunt, aliud doctrinæ lumen non est agnoscendum, neque in regno Dei, quod est Ecclesia Christi, expectandum, sicut nec alius Sol in regno hujus visibilis mundi, quam qui nunc illustrat radijs suis orbem terrarum. Etiamsi Angelus de cœlo veniat, non recipiendum aliud dogma, quam Prophetarum & Apostolorum tot tantisque testimonijs probatum. Nam Angeli quamlibet magni, tamen servi sunt & ministri: cæterum sacræ scripturæ non à servis, sed ab universi Domino ad nos venerunt. Ideo earum authoritas nobis major esse debet quorumcunque sive miraculorum, sive spectrorum, sive eventuum, quibus turbari potest fides nostra, inopinato casu. Omnia alia seculi prioris scripta, quæ divinam originem jactarunt, ita funditus perierunt, ut nullum prorsus eorum monumentum aut vestigium supersit. Dei autem verbum temporis edacis dentibus insuperabile in æternum non peribit, etiamsi universa-

lis

lis illa flamma res omnes cineres suos fateri aliquando cogat. Apud quos inventa fuerint dogmata divinis sermonibus concordantia his omnino etiam veritatis suffragium succedat, ab ijs discordes retroeant, & agnoscant errorem suum. Falluntur, qui scripturam nescientes scientiam ac cognitionem DEI in sola sectæ appellatione versari putant, & ex ea de religione judicium ferunt. Periculosissimè vero errant illi, qui extra & præter verbum Dei divinum cultum, bona licet intentione, instituere non verentur, quod sine summa impietate & in Deum ingratitudine nulli creaturæ licet. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut divina dispositio violetur. Propterea Ethnici sive pagani, quorú sacra plèa crudelitatis & obscænitatis, judæi proni ad idololatriã, à Deo multis præceptis onerati, ut haberét quod agerent, neque se ad alienos Deos converterent, Mahometani pleraque à judæis

dæis mutuati, addita vini prohibitione, omnes à fide vera alieni & sanam doctrinam non agnoscentes Deum habere non intelliguntur: poscunt prece auxilium, & clamantes nemo exaudit. Nam qui negat Filium, is neq; Patrem habet. Multa quoque dissona patrum memoria, in Ecclesiam irrepserunt, ex tirpanda potius, quam in ea toleranda aut admittenda. Hujus generis sunt invocatio sanctorum, idololatricæ missarum celebrationes, religiosæ peregrinationes, purgatorium animarū post hanc vitam, & similia humani cerebri commenta meritoriam Christi satisfactionem directè impugnantia. Quibus accedunt sacræ cænæ mutilatio, matrimonij sacerdotalis & nonnullorum ciborum certis temporibus prohibitio, unctionis extremæ plus quam superstitiosa institutio, & quæ sunt aliæ humanæ traditiones nulla scriptura approbatæ. Insani Anabaptistarum furores tacendi potius quam dicendi, quod eorum sacrilega impietas jamdudum est explosa & damnata. Non omnes,

qui dicuntur Christiani statim sunt veri Christiani, ut apud eos æqualiter fructificet verbum Dei, cum ipsi auditores Christi non omnes sint conversi. In propria enim venit ad gentem, in qua sibi domicilium elegerat, & sui, quibus se beneficijs devinxerat, ad quos singulari gratia impulsus veniebat, & quibus debebat esse notissimus, eum non receperunt. Ex quo fit, ut non amplius sint populus ejus, qui Regem suum negaverunt, & qui populus ejus non fuit, in populum assumptus est. Quemadmodum à se ipso nemo esse potest, ita etiã à se ipso nemo sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo dictum est: Omnis sapientia à Deo. Multo maximè ea, quæ rectè de Deo sentire docet, & sanctè ex illius præcepto vivere, & non truncо, sed cogitanti, non contemnenti, sed petenti datur. Sapientia humana sive prudentia carnis est malefacere, benefacere nescire, facere irregularia ex calliditate, ex metu, ex diffidentia, ex ira, vel allijs modis impelli

cupiditate, acquirere honores, dilatare possessionum fines, congregare divitias, & mors dicitur, quod hæc omnia tempore corruunt, & una cum possessoribus suis intercidunt. Vera sapientia sive prudentia Spiritus humilis & casta, elevans mentem à terrenis in meditationem excelsorum ac cælestium, pax est & vita, pax in hoc homines pacatos ac quietos reddens, & vita in futuro seculo, quæ nullo senescit tempore, nec ullo deficit aut consumitur annorum spacio. Sapientia carnis Deo inimica & legi Dei non subjecta (neque enim potest) possessoribus suis inflationis occasio est. Charitas vero ædificat, quam qui habet, verè sapiens est, ei inhærens affectibus mitigatis terrenisque calcatis, qui nos dilexit in Filio suo dilecto, per quem placati & reconciliati sumus. Nam absque Deo sapere est desipere: Deum vero nosse & amare est perfectè scire. Qui autem se Deum nosse dicit, & mandata ejus non observat, veritas non est in eo. Sicut

cut stultus est omnis peccator, & maxima stultitia peccare, sic maxima sapientia non tantum eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Qui vitam suam & cunctos actus dirigunt ad hanc metam, eos ventura nepotum semper dicent secula beatos. Exigit à nobis sui amorem & cultum Deus, & vicissim tuetur animas se diligentium ac colentium, eorum neq; domum neque rem deserit, salutarem laborantibus manum porrigit, & ex vita exemptis æternum decus honoris arrogat, secundum magnam misericordiam suam memor illorum in gloria claritatis suæ. Mundus, quod suum est, diligit, & quævis rectè facta sine ulla ratione reprehendit: veritatem vero nec vult, nec potest ferre. Christiani de mundo non sunt, sed electi de mundo, propterea odit eos mundus. Christia-

ni mundo crucifixi sunt, & mundus judicat eos pestiferos, seditiosos & damnatos homines. Christianis vicissim mundus crucifixus est, & judicant mundum esse damnatum. Mundus transit & concupiscentia ejus. Christiani, qui docti à Deo fidem in Christum suscipiunt, & firmam atque inconcussam ad finem usq; vitæ retinent, salvantur, habentes repromissionem, quam Christus pollicitus est illis, vitam æternam. Spiritus Dei intrans tabernaculum cordis nostri expellit amorem Mundi & peccati, & dulcis amor ejus mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, & Deum demonstrat. Qui plus diligunt mundum quam Deum, seculum quam cælum, iniquitatem quam justitiam, superbiam quam humilitatem, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem, moribus & vita Christo contrarij, Diabolum sequuntur, & quoniam instar jumentorum non cogitant de his, quæ ad eorum salutem pertinent, insipientes & stulti

in

in sacris literis dicuntur. Insipientes sunt, qui se à paradiso peregrinos esse non cognoscunt, & se exules in hoc seculo non attendunt. Stulti, qui & infantes nominantur, nescientes à terrenis elevari, & non crescentes in pietate, licet ista cognoverint, liberari tamen à vitæ miseria animum non intendunt. Insipientes non credunt futura reproborum supplicia perpetua, & justorum gaudia æterna. Stulti licet hæc crediderint, tamen ut evadant mortem perpetuam, & gloriam æternam acquirant, curam non impendunt. Quidam eorum adeo perversâ mente sunt, ut etiam ipsum oderint intellectum, & non curent quicquam intelligere, ne ea, quæ intelligunt, coganter facere. Quid mirum igitur si utrique & insipientes & stulti pereant? Nam justum est, ut à Deo condemnentur morientes, qui Deum contempserunt viventes, & immemores munificentiæ ejus mors inopina æternis tenebris premat. Jam ut

de

de religione paucis agamus, reperiuntur, qui quemque in sua salvari, si modò virtuti & honestati studeat, & non nulli eorum paganos quoque in Ethnicis suis superstitionibus salvatos, asserere non verentur, quam piè, ipsi videant. Veri christiani non nisi in vera religione à Deo ipso in verbo suo tradita & revelata, quæ est Dei & Christi salvifica notitia, se salvari posse persuasum habent, in qua inoffenso pede, relictis devijs opinionum & errorum ambagibus, incedentes & constanter perdurantes servantur, & perveniunt ad sempiternam beatitudinem: & sicut æterna, ita etiam temporalis humanigeneris felicitas ab ea dependet. Est enim vera religio optima rectrix humanæ vitæ, justi injustique norma, frænum in prosperis, spes in dubijs, una denique mentis domina. In qua quibus enutritis assiduus Deimetus insidet, illi & serio jussa magistratuum exaudiunt, nec se mutuo nec alios fallunt, pacta fidemque studiosè observ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0046
DFG

servantes. Sublata vero religione ac pietate, firmissimis humanæ societatis vinculis, mundus ipse tollatur necesse est. Nam non solum vera religio, sed etiam vana, ficta, ac falsa frænum animis hominum injicit, eosque in officio continet, & plerumque superstitio, quæ nihil aliud est, quam humanarum mentium ludibrium, & falsa pietatis imitatrix, fortius mentem invadit, quam ipsa religio. Homo autem sine religione velut infrænis equus eò deterior, quo natura contumacior, & in vitium propensior, & religione non alio fine uti, quam regnandi instrumento, improbitas est omni scelere major.

De Deo & Sacrosancta Trinitate.

CAPUT II.

AD fidei Christianæ intelligentiam non longa aut obscura rerum naturalium cognitione est opus, sed ipsius

ipsius tantum causæ rerum omnium creatricis, qui est Deus Trinus & Unus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Non enim per difficiles quæstiones nos Deus ad beatam vitam vocat, nec multiplici verborum lenocinio nos sollicitat. In absoluto nobis & facili est æternitas Jesum suscitatum à mortuis per Deum credere, sive unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerari. Tres sunt, qui testificantur in cælo, Pater, verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Deus Pater ab æterno sese intuens ac considerans genuit Filium suum sibi consubstantialem. Deus Filius genitus à Patre intuente semetipsum est imago integra & substantialis Æterni Patris Dei invisibilis, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Deus Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, unus idemque Spiritus Patris & Filij. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex Patre, qui in communi opere Trinitatis est causa efficiens, author illius, & principium,

pium, tanquam fonte promanant omnia. Per Filium, qui est sapientia, causa regens & operans, creata omnia, & pulcherrimo ordine dispositа sunt. Spiritu Sancto, qui est causa potenter producens, vim inferens, res fovens, sustinens & sanctificans, & virtus ac digitus Dei appellatur, conservantur atque vegetantur omnia. Fit autem semper ex necessaria consecutione, ut, quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa Trinitas operari intelligatur, propter ejusdem naturæ in tribus personis unitatem. Neq; enim possumus unum cogitare, quin trium fulgore mox circũdemur, nec tria possumus discernere, quin subito ad unum referamur. Quicquid ubiq; Dei sub nomine credulus error adorat, huic Trino & uni, cui cælum thronus, cui terra scabellum pedum, cui sceptrum æterna & immobilis voluntas, cui nulla potentia potest resistere, & à quo manat omnis potestas, cujus stupẽda sunt opera, soli laus & gloria debetur in omnia

secu-

ſecula. Religio, tanquam jus hominis cujusvis erga Deum, omnium cordibus quaſi per naturam inſcripta eſt. Nulla enim gens tam fera ac barbara vnquam fuit, quæ divini nominis, quod colendum, quod invocandum, ad quod in periculis confugiendum, notitiam aliquam ex naturali inſtinctu non habuerit. Diabolus vero Dei ſimia effectu, non affectu inanis ac fucatæ imitationis, ut homines à Deo abduceret, verum Dei cultum in idolatriam convertit, & maxima pars hominum decepta ejus præſtigijs honorem ſupremo Numini debitum à creatore ad creaturas tranſtulit, & res vaniſſimas nonnunquam pudendas pro dijs habuit. Complevit hujus erroris & dementiæ non ſolum gentes, ſed in agro Dei zizanium quoque ſuum ſparſit ac ſeminavit. Nam & populus Iſraëliticus ſe ab idololatria corrumpi paſſus eſt, & Chriſtianorum permulti in hunc uſque diem idola & ſimulachra animi ſui ludicria colunt, nunnulli cum Epicuro

curo Deum mundi curam habere si non ore, tamen corde negant Judæi & Mahometani utut agnoscunt Deum, ex quo omnia, non tamen agnoscunt Dei Filium, per quem omnia, nec Spiritum Sanctum divinæ naturæ consortem, in quo omnia. Nos vero divinæ debemus misericordiæ, quod Patrem omnis salutis authorem agnoscimus, quod Filium ipsi æqualem adoramus, quod utriusque Spiritum hausimus, firmissimè tenentes & nullatenus dubitantes Sanctam Trinitatem esse solum, verum, æternum, increatum, admirabilem, omnipotentem Deum, visibilium ac invisibilium creatorem, per quē omnia vivunt, gubernantur & vivificātur, quæ in cælis & in terris sunt, & præter quem non est alius Deus neq; in cælo sursum, neq; in terra deorsum. Utinam omnis natio, omnis sexus, omnis ætas ubiq; consentirent in sanctissimi hujus Nominis laudem ac gloriam, semper canētes atq; dicentes: perennis Majestas & honor Deo. Nominis sancti pe-

cti, penetret per omnes gloria terras. Dei enim gloria resplendens in cunctas se colentium terras humani generis felicitas est, & humani generis felicitas Dei benignitas. Deus ille Deorum trinus & unus, perfectissimus & æternus, fortis ac zelotes in vindicando Nominis sui honore ac gloria, quam alteri non dat, & solus magnalia, mirabilia & inscrutabilia, quorum non est numerus, facit, supra omnem rationem & intellectum sex diebus, non manutenens aliquid unde faceret, sed ex nihilo terram & æquor condidit, & polum, & quicquid terra, æquor, polusque continet, addita benedictione, ut, quæ creata, fructifera essent, maledictione ob peccatum superveniente postea diminuta. In principio dierum Deus magister ordinis & arbiter orbis creavit omnia, etiam quæ nunc sunt, ordine tamen suo servato, ut aliud primũ, aliud sit ultimũ. Currit enim Deus per verbum suum usque ad finem, & omnia sunt oculis ejus præsentia, quan-

quam

quam propter peccatū quædam aliter facta sunt, quam initio fuerunt. Sexto & ultimo die creavit hominem ad imaginem suam, mente recta & sana in corpore sano super dexteræ suæ universa opera visibilia principem ac Dominum, ut mutis animantibus omnibus infra eum creatis, quibus ne particula quidem procreatoris communicata est, & proinde neque illius cognitionem adepti sunt, neque se mutuo norunt, dominaretur; non minus, quam ille hominibus subditis sibi, & septimo requievit. Ac cessavit quidem à creatione novarum specierum, non cessat à creaturarum gubernatione & conservatione: gubernat & conservat eas virtute verbi, quo condidit, & adhuc operatur singula in singulis. Natura enim est ars Dei, & quæ sunt naturalia supremum mundi artificem fatentur ac demonstrant. Instrumentum, per quod mundus factus est, fuit ipsum Verbum Dei verè immortale atque æternum, quod sempiternè dicitur,

tur, & quo sempiterne dicuntur omnia, quæ dicuntur, & fiunt, quæcunque dicuntur, ut fiant. Nec aliter, quam dicendo Deus facit, neque tamen simul & sempiternè fiunt omnia, quæ dicendo facit. Deus verbum miro modo dicit, & quæ sunt impossibilia fiunt facillima, quæ planè pugnantia simillima, ex aquis pisces & volucres fiunt, & ignis in silice absconditur inter fluctus maris. Tota enim hujus mundi machina & fabrica ex discordibus constat, admirabili quadam continuatione serieque rerum conglutinata & concors facta. Spiritus Sanctus aquis incumbens, dum Deus creat, Sapientia format & jubet, videt, probat, vivificat & conservat omnia, unus idemque Deus author & creator ejusdé operis. Quoniam Deus videt creata, sunt, & ibi vidit facta, ubi vidit facienda à seculo cognoscens omnia opera sua. Sanctus Deus noster sanctè operatur, & quicquid agit, sanctificat, nihilq; ab eo creatum, quin aliquam virtutem vel bonitatem

tatem admixtam habeat, & Dei bonitatem repræsentet ad laudem creatoris sui referendam. Ineffabilis charitas & benignissima bonitas ejus Deum deduxerunt ad creandum, ad regendum, & ad conservandum id, quod creatum est. Non sunt illæ in Deo qualitates quemadmodum in homine sed ipsa ejus essentia, quæ cum sit simpliciſſima, nihil habet accidentarium, aut quod compositionis modum referat. In solo enim Deo optimo Maximo nulla est compositio, sed summa & exquisitissima simplicitas. Deus charitas est, quæ semper ardet & nunquam extinguitur, omnia ex se habens, ens in se, à se, & per se ab æterno, qualis heri, talis hodiè & in æternum, opera sua mutans non consilium. Res creatæ inæqualiter, mutabiliter & ex parte tantum sunt bonæ, longè inferiores suo opifice, à quo dependent tanquam umbra à corpore suo. Esse in Deo est essentialiter, in creaturis per participationem, & solus Deus per se suaque vi

est immortalis. Angeli & animæ humanæ Dei beneficio et gratia sunt immortales, & supernaturale bonum fuit immortalitas corporis nostri, quo salva corporis nostri essentia mulctati sumus propter peccata nostra. Nihil superius aut inferius, aliudve majus se habere, sed proprio contentum circulo per se ipsum subsistere, omnia continere & abijs non contineri, se ipsum comprehendere posse, ante secula, in seculis & per secula in æternum vivere, Dei solius proprium est. Cum autem scriptura Deo os, oculos, aures, manus pedes & similia membra asscribit, non propterea Deum corporeum imaginari debemus. Talibus enim loquendi formulis Deus mirabiliter simplex balbutire nobiscum voluit. veluti nutrices cum infantibus solent, ut quoniam naturam ejus intelligere nequeamus, quasdam suas proprietates membrorum nomine, ad humanam intelligentiam nostram humanarum rerum significationibus utendo, nobis adumbra-

braret: Exempli gratia, divinitatem ſuam facie, providentiam oculis, omnipotentiam manu, fortitudinem brachio, idemque iudicium de reliquis eſto. Extra Deum nihil eſſe creditur, quia non ipſe in aliquo, ſed intra eum ſunt omnia. Ipſe in cœlo digno Majeſtatis ſuæ & divinitatis habitaculo habitans, ubi cœlum cœli thronus ejus eſt, et terra ſcabellum pedum, non loco aliquo concludente ipſum verum potentia Deitatis ſuæ in ſe ipſo ſolus ubiq; totus, & nuſquam abſens liberrimè agit in rebus creatis contra cauſas ſecundas & ſine illis, & nullis præter ipſius voluntatem legibus coërcetur, & plura poſſe quam velit, & nobis patefecit, miracula veteris & novi teſtamenti illuſtria teſtantur. Nam imperium ſine fine Deo noſtro eſt, nec legibus ævi ſubdita ſceptra tenet, nec clauſa metis temporum, nec ulla terra neſcia eſt ejus gloriæ ac potentiæ. Vbi ille non adeſt Per gratiam, ibi adeſt per vindictam, & qui eum non habet pla-

catum, nequaquam evadit iratum. Quæ vero apertam contradictionem in se continent, ideo à Deo fieri non posse dicendum, ne sit sibi contrarius & inconstans, & evertat ipse, quæ esse ac manere voluit. Non enim alia ejus à nobis omnipotentia imaginanda & credenda est, quam quæ cum illius & voluntate & sapientia congruit. Etsi autem in Deo omnes virtutes sunt æquales & æqualiter, rerum tamen creatarum ratione magis Dei misericordia, quam Dei iustitia sentitur. Nam benignitas Dei & in suos clementia clausa nullo est termino, bonitas qua vitam munit prosequiturque nostram redundat latius, terræ plaga quam remoto distat olympo, & misericordia semper triumphat supra iudicium & justitiam ejus. O adoranda Dei clementia & misericordia! qui cum potuisset in puncto temporis ad nihilum redigere inimicos suos, non solum conservavit, sed etiam necessaria ijs submi-

dinavit, & terram dedit possidendam. Quod majus est, ne quidem peccatorum mole & magnitudine oppressos destituit, sed expediendæ salutis spem ostendit in Filio pro totius mundi peccatis in mortem tradito, ut beneficijs affecti ad suum convertantur authorem. Licet nos omnibus bonis simus indigni, Dei tamen infinita bonitas nunquam cessat benefacere etiam ingratis & longè à se aversis. Ipse est salus, virtus, fortitudo & consolatio nostra, parcens per clementiam, ne ulciscatur per justitiam. Ejus altissimi recessus & præsentissima in nos pauperes & egenos misericordia, quæ sustentat nos parvulos ac infirmos, atq; eripit animas nostras de manu inferni, semper cogitanda & prædicanda. Impenetrabilis quidem & inexhausta est consideratio temperamenti misericordiæ ac justitiæ Dei, necessaria tamen nobis ad excitandum in nobis amorem ac timorem ejus. Quæcunque Deus creavit parentia legibus ipsius orta vi-

gent, lapsaq; cadunt, & tanquam in oceano æstus longævum aliquid admittunt, nihil perpetuum. Aliqua discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Sunt enim creaturæ partes rerum, quæ non omnes simul, sed decedendo & succedendo omnes agunt universum, cujus partes sunt. Tunc vero esse incipiunt & desinunt, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscuntur. Annorum series omnia deterit, & veluri vestis teritur, sic abit, & redit, & mutat facies dædala mundi machina ad Dei nutum, à quo & mutatur & instauratur. Nam dextera Dei excelsi ut omnia facere, ita etiam omnia mutare potest. Non tamen variatio effectuum divinorum ullam in Deo mutabilitatem, sed in ipsis creaturis tantum arguit. Deus enim, qui fuit, est, atque semper erit, ortus finisq; insscius, creator & Dominus universi, apud quem omnium rerum instabilium stant causæ, & rerum omnium

muta-

mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium ac temporalium sempiternæ vivunt rationes, ex nulla specie motuve mutatur, nec temporibus variatur voluntas ipsius, quia ante tempora ipse fuit, & tempora ipse fecit, & nulla tempora ipsi coæterna sunt, quæsi permanerent, tempora non essent. Hodie mus Dei dies ejus æternitas est, qui genuit sibi coæternum, cui dixit, hodiè genuite, & in se ipso lucem inaccessibilem habitans incomprehensibilis est, nec voce exprimi, nec oculis à nobis conspici potest. Non enim videtur justum coram ipso, ut, quemadmodum se scit lumen incommutabile, ita sciatur ab homine commutabili. Ideo & illud incomprehensibile est, quod fuit ante mundum extra initium creaturæ, quia nihil fuit nisi Deus, & quia verbum dicitur fuisse in Principio ante omnes creaturas, in Creatore & nuda Essentia Dei id fuisse necesse est. Cum neque principium habeat, neque me-

dium, neq; finem, generationem ejus, quis intelligit? Nemo sanè mortalium mentis suæ acie ad sacro sanctæ Trinitatis mysterium intelligendum pertingere potuisset in veteri testamento à Moyse & reliquis Prophetis subtilissimè tantum insinuatum, non expressum, venturo Messiæ summo Doctori & novo testamento tanquam clariori luci uberiore ejus explicatione reservata. Filius vero Dei qui est in sinu Patris, veniens in hunc mundum clarissimè enuntiavit & enarravit nobis, quod sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Citra Christi magisterium ac patefactionem Deus nobis mansisset incognitus in æternum, in cujus agnitione omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Nam nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare. Notitia ergo Dei in agnitione Christi vertitur, & quemadmodum nostra justificatio, ita etiam ipsa vita æterna in agnitione Christi consistit, Nobis enim vita æterna est,

& bea-

& beatitudo perfecta, noviſſe verum Deum, & quem ille miſit Jeſum Chriſtum, ſive in tetra benedictiſſimam Trinitatem & divinæ Eſſentiæ unitatem credere: in cælo autem eandem benedictiſſimam Trinitatem intueri, & ipſa frui. Qui non credunt Patris, & Filij, & Spiritus Sancti unam Deitatem ſub pari Majeſtate & pia Trinitate ſecundum Apoſtolicam Evangelicamq; doctrinam, neq; deſiderio deſiderant videre Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, inſani adverſus antidotum, quo ſani eſſe poſſent, in æternum non ſalvantur. Nam ſola propitia Trinitas eſt hæreditas & ſecuritas noſtra, & Chriſtus via rectiſſima veritas ſuprema, vita vera, vita increata, vita beata. Si manemus in illa via, cognoſcimus veritatem, & veritas liberat nos, & fide tenentes, ſpe retinentes, charitate proſequentes quod oculis non videmus, neque mente capimus poſt miſeram hanc vitam perducit in æternam beatam vitam, ſive regnum cælorũ, in

quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in Trinitate perfecta unus Deus vivit, regnat, & imperat per omnia secula seculorum à quo, per quem, & in quo beata sunt omnia, quæcunque beata sunt.

De causis boni & mali.

CAPUT III.

NEmo est, qui nesciat solum Deum absolute pulchrum & bonum esse, & quicquid in homine pulchrum ac bonum, quicquid in aliqua creatura pulchritudinis ac bonitatis est, totum Deo deberi, cujus esse bonitas & pulchritudo est, & à quo omnis in creaturas pulchritudo & bonitas descendit. Creata vero, quatenus à Deo facta, sunt quidem pulchra & bona, non tamen sunt incommutabiliter bona, sicut eorum conditor, qui solus est omnis mutationis & corruptionis expers, cui comparata nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Nam & mutantur, & variantur, & minui

nui in eis bonũ & augeri poteſt. Quod non eſt creatura, & tamen eſt, neceſſario Deus eſt, cũ inter creatorem & creaturã nihil poſſit intercedere medium. Omnes vero naturas atque ſubſtantias, quæ non ſunt, quod Deus eſt, & tamen ſunt, ipſe immutabilis & inenarrabiliter pulchrior Creaturis ſuis fecit, & hoc ſolum ab ipſo non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à Deo ad id, quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt. Inde omnis generis malum irrepſit in hanc univerſitatem, non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ, quod ille non ſineret eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens, ut bonum etiam faceret de malo, & ex malo noviſſet elicere bonum. Nec enim ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Ipſum ſuper ardua cæli culmina poſitum nil latet imæ ſub cava clauſum viſcera terræ, nil humano

procul adspectu trans multiplicis ætheris orbes. Illius manu & imperio omnia continentur, tempestates, adversa, & secunda optimè dispensantur, diaboli & mancipia eorum coërcentur, & deniq; ea solum fiunt, quæ Deus unicus arbiter rerum ab æterno prævidit & definivit facienda. Scientia sua Deus cognoscit omnia præterita, præsentia & futura, si tamen cum ea non concurrat ipsius voluntas, nullius rei causa est: Voluntas vero Creatoris opus, & velle posse est. Sapientia ejus & potentia æque magna, providentia, quæ ab æterno in Deo considerari potest, & gubernatio res conditas præsupponens ad omnia extensa, neq; unquam cessans, protectio certa & in æternum durabilis est, ut ne pilus quidem capitis nostri defluat absque ejus voluntate. Deus omnipotens & bonus semper præsens, & perpetuus inspector cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum nostra-

strarum, sic curat unumquemque nostrum, tanquam solum curet, & sic omnes tanquam singulos, non solum capillos capitis nostri numeratos habens, sed etiam affectus & motus cordis nostri. Vigilat enim semper divinus oculus bonos ac malos intuens omnium ac singulorum actus adimadvertens, semitas ac gressus eorum dinumerans. Cum eum dormire censemus, connivet, malos tolerans, ut exerceat bonos. Et videt, & librat justa Deus omnia lance, malis durus, miseris benignus, omnibus æquus. Quicquid agit, juste sancteq; agit, promissa præstans perpetuo stabilis tenore, & animos quoque nostros arcanis divinæ suæ legis habenis ad honesta flectens. Supplicibus facilem præbet aurem, pios fido tuetur præsidio, scelerumque labefactans artes impios sibi rebelles viribus fretos superbis sternit humi, supraque jacentes accumulat iræ flumina cuncta suæ. Magna opera Domini, exquisita in omnes volun-

voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam fit contra ejus voluntatem, & non fieret, nisi sineret providus Pater, semper unus idemque permanens, & arte mira consulens servis suis. Nam etsi se voluntas humana corruperit, non tamen ideirco imminutum est Dei imperium, cui subjectæ sunt voluntates humanæ, & à quo reguntur, quantumcunque adversentur ejus mandatis. Nihilominus Deus invicta, quæ vult, facit omnia dextera ex consilio voluntatis suæ, dans metas omnibus creaturis, quo & quatenus currant, & peccatores evagantes extra tramitem justitiæ includens limitibus providentiæ, ne noceant eis, quos ipse amat, aut peccatum perturbet ordinem imperij sui à cælo usque in novissima justi atque integri, neque in summis, neque in imis. Lanienam Bethlehemiticam Deus fieri non permisisset, nisi optimi finis gratia factum fuisset, qui erat, ut hac ratione nativitas

Messiæ

Messiæ egregiè inclarescèret, siquidem nulla potuisset esse concio tam efficax & sonora, quod natus esset Messias Dominus, quam id ipsum infanticidium. Quot enim parvuli occisi, tot producti testes, qui de adventu Messiæ in orbem testimonium dicerent. Sic nullum malum tam deploratum, quin subserviat mirabili Dei providentia ac gubernatione divini Nominis gloriæ, & quod vel fortuito evenire, vel humano duntaxat geri arbitrio putatur, arcana ratione ad fines soli Deo notos destinatur. Deus habenas in manu tenens omnia dirigit ad nutum suum, & nullam patitur creaturam terminos à se præscriptos excedere, potens facere in cælo, in terra, in mari, & omnibus abyssis, quæ vult, celans quem vult, aliqua reserans, quando vult. Occulta autem & secreta Dei consilia, sub cava nube condita, veneranda, non excutienda, Tremenda enim Dei Majestas, incomprehensibilia judicia, & investigabiles viæ ejus, néque est sapientia, neq; consilium

silium adversus Dominum. Ast animi quibus est solertia, mirantur altæ lumen perspicientiæ, & Domini misericordiam prædicant bonis semper benigni, malisq; formidabilis. Dei enim bonitas in defendendis pijs & justitia in puniendis malis clarissimè elucescit. Securissima redditur anima nostra secum perpendens omnia in universo mundo à Deo justissimo fieri, gubernari, & permitti, cujus summa sapientia non potest errare aut falli, summa bonitas etiam id, quod optimum est, facit, summa omnipotentia à nullo potest impediri, quin omnia, quæ velit, faciat, & non velit, nisi quæ sunt justissima. Utiq; condignas Deo gratias non reddit, qui ex Creatione Deum Creatorem & omnium rerum authorem non agnoscit, ex contemplatione eximiorum mundi operum Dei opificis Majestatem & potentiam non perspicit, omnia ejus gubernatione disponi non videt, nec considerat, ad ejus nutum non contremiscit, ejus præcepta non fideliter custodit, neq; miratur cælum

& terram, munera & fructus ejus neq; fluctus & pisces maris, & quæ singulis diebus mirabilia Deus sua misericordia atq; gratia operatur. Ad laudé Dei hæc omnia sunt referenda, illiq; gratiæ ingétes pro summis beneficijs nobis immeritis præstitis quotidiè agendæ, cũ nihil aliud habeamus, quod Deo, qui omni ex parte beat⁹ officijs nostris non indiget, & tamen ad se laudandum nos creavit, persolvere possimus, quam juges laudes. Magnificiendus à nobis author, qui animam nostram expressit ad imaginem & similitudinẽ suam, & ipsi omnia nostra committenda, à quo accepimus, quæ habemus, & qui miseret, cujus misertus erit, & misericordiam præstat, cui misericors fuerit. Et, quoniam non valemus Deum Creatorẽ nostrũ inhabitantem æternitatem, cujus laus perpetua est, non transitoria, laudare sine ipso, laudent Dominũ nostrũ incomprehensibilis potentia, incircumscriptibilis sapientia, ineffabilis bonitas, superabundás misericordia, & sem-

sempiterna virtus ac divinitas ejus. Laudent omnipotentissima fortitudo & charitas ejus, per quam nos creavit Deus vita animæ nostræ & Spiritus universæ carnis. Magnus liber naturæ digito Dei ita scriptus, ut ex eo immensa ejus Majestas & potentia etiam lumine naturali conspici & vel palpari possit, & cæli enarrent gloriam ejus, expressit Ethnicis philosophis confessionem de Deo vel invitis. Ex contemplatione enim cæli, maris & terræ, & vicissitudinis dierum ac noctium, inprimis Solis incomparabili pulchritudine, incredibili celeritate, effectibus planè admirandis convicti statuerunt, esse horum aliquem effectorem & conservatorem Deum, mentem æternam, causam boni in natura, sed quisnam ille esset, & qualiter colendus, dicere non potuerunt, ignari & voluntatis ejus, & curæ circa mundum, inexcusabiles tamen, quod propter hanc notitiam ulterius in veram, perfectam, & salutarem Dei notitiam, quæ ex li-

ex libro scripturæ desumitur, non inquisiverunt. Sciverunt Deum esse ex natura, sed cultum ejus, quem in verbo suo posuit & tradidit, ignorarunt. Cognoverunt Deum ex operibus miraculorum Dei plenissimis, quæ quamdiu solita decurrunt, magnitudinem eorum consuetudo subducit, verbum non habuerunt. Nobis autem in verbo suo & operibus se Deus manifestat extra ista involucra incomprehensibilis ante creationem in sua essentiali quiete, post creationem mundi intra, extra, & supra omnes creaturas, ut non possit comprehendi, qualis sit. Mali, quod est vitiosa & præter primum ordinem naturæ facta rei dispositio à tramite virtutis devia, nulla est natura aut substantia: sed est privatio boni, per quod factum bonum est, & sine quo factum est nihil, sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Ejus authorem & architectum dicere Deum, nihil aliud est, quam Dei Optimi Maximi boni naturam negare. Om-

re. Om-

re. Omnia quæcunque facta sunt, bona sunt, & mala, quæ facta non sunt, nihil sunt, quia sine verbo factum est nihil. Quoties à bono deviamus, à verbo nos separamus, per quod omnia facta sunt valdè bona, & à facto transimus in defectum, & sine illo nihil sumus, quia sine ipso factum est nihil, ut sunt peccatum & mors, quæ non sunt facta, sed per diabolum irruperunt in mundum. Sicut per verbum omnia facta sunt, & sine eo factum est nihil, sic per ipsum omnia conservantur, quæcunque sunt sive in cælo, sive in terra, sive in mari, & in omnibus abyssis, & sine eo omnia annihilantur. Deus vero malum non creavit, neque conservat quatenus tale, sed permittit tantum & tolerat in illum diem, quo revelabuntur arcana cordium. Ideo mali non tam causa efficiens, quam deficiens quæri debet, quam videre velle est tenebras videre velle & conari. Ex hoc genere mali sunt non tantum peccata, homines improbi, diaboli, sed

etiam

etiam venenosa animalia & res noxiæ, quibus tamen sapientissimus & potentissimus Deus benè utitur, vel ea reformando vel puniendo. Sic peccatis piorum ad eos postea firmius stabiliendos utitur, facitque, ut illa etiam in bonum eis cedant, sintque suæ ingentis bonitatis & misericordiæ exempla. Eodem modo puniendo mala Deus facit, ut in eo sua potentia, Majestas & sanctitas eluceat, & ita benè ijs utitur ad suam gloriam electorumque salutem. Neque enim minus justitiam Dei patefieri bonum est, quam ejus misericordiam. Sive igitur pijs omnis generis morbos & adversa Deus immittit, & paterna sua ferula eos castigat (corripit enim & flagellat omnem filium, quem recipit) ut à se aberrantes revocet & in viam reducat, sive diabolum iræ suæ ministrum & quasi carnificem adhibet, ut homines præcipites in exitium agat, non propterea mali author vocandus est. Nam ferula pijs salutaris est, & improbos in

sensum

sensum reprobum mittendo, aut cor eorum indurando, non confusam tyrannidem exercet, sed justa sua judicia, licet nobis arcana, exequitur. Justus enim est Dominus, & justa sunt judicia ejus & eorum, quæ perperam fiunt, culpa in ipsum transferri non potest, cum voluntas ipsius sit summa & exactissima omnis justitiæ norma. Non potest mentiri, qui est ipsa veritas, nec peccare, qui est ipsissima justitia. Sicut autem in Deo peccatum non est, ita neque ex eo est, & quod ex eo non est, utique opus ejus non est. Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo, & quicquid lucis in nobis est, ab eo proficiscitur. Non misereri est in Deo obdurare, non quidem impertiendo aliquid mali, quo homo sit deterior, sed tantum non erogando, quo sit melior, propter mala merita, quæ præcesserunt. Indurat, quando non emollit, excæcat, quando non illuminat avertens faciem suam. Sol noctem facit occidens: Deus cæcos facit homines, cum propter

ter malitiam eorum eis non adest. Cæcitatem mentis ultro sequitur obduratio cordis, Deo tamen voluntatem hominis non impellente, & posteriora peccata fiunt pœnæ præcedentium. Eo enim ipso, quo homines per peccata posteriora fiunt improbiores, fiunt quoq; miseriores. Impunè se facere arbirantur, & ipsa cæcitate faciendi putiuntur, & incomparabiliter patiuntur, pejora, quam faciunt, peccato, quod nõ est ex Deo, Deo utente ad pœnam. Nulla est sanctitas, si Deus custos & protector omnium in se sperantium manum suam subtrahat, nulla prodest sapientia, si gubernare desistat, nulla juvat fortitudo, si conservare desinat, nulla secura castitas, si eam non protegat, nulla propria prodest custodia, si non adsit sacra Dei vigilantia. Qui vero omnes ad illum mentis ægritudines, & læta deferunt ac referunt, semper præsens Numen ejus omnibus adesse cæptis sentiunt. Venenosa animalia,

lia, innoxia primum creata à Deo, homini noxia esse cæperunt propter peccatum sive boni privationem, quæ in homine contigit. Nam & illa, & omnes res noxiæ peccatorum puniendorum causa illi obijciuntur. In terra quoque perpetua usus hominum ancilla Deus suæ cum iræ, tum benignitatis testimonia extare, & ex illa divinam suam potentiam emicare voluit. Non enim vis illa genitabilis, quæ est in terra, in ipsa ejus mole concluſa est, sed à Dei virtute operante pendet, quæ, sicut vult, vel lolium, vel frumenta producit. Ad Dei imperium fundit sua munera tellus, & natura prompta ejus paret jussibus. Tribulos vero, spinas, & herbas venenosas peccati Adami vestigia esse & pænam in terra, quæ non nisi improbo labore coacta ad usum necessaria producit, inutilibus arboribus & noxijs herbis deformata, voce Dei monemur. Quo circa qui terram colunt, & Deum non colunt se colentes foventem & novis semper donis cor-

nis corporalibus ac spiritualibus augentem, frustra laborant. Quin tota rerum universitas, inque ea omnes res tam cælestes quam terrestres, tam animatæ, quam inanimatæ, ideo conditæ & creatæ, ut Dei gloriam pro virili asserant & vindicent, Deo nobis infesto, jure & merito nobis quoque infestæ & inimicæ sunt, eodem placato faventes & amicæ, & pijs nihil nisi salutem ominantur, impijs exitium assiduè minantur. Stant in militia & sine fine pugnant pro nobis contra diabolum, & contra homines, dum nobis prosunt & serviunt. Stant etiam contra nos, & in exitium nostrum armatæ sunt, Deo id permittente propter peccata nostra, quibus crescentibus, crescunt & augentur pœnæ. Nam justitia Dei non sinit dedecus culpæ in homine absq; dedecore vindictæ. Etiamsi lento gradu ad vindictam sui divina procedat ira, haud tamen ullus transit plagæ ejus. Si igitur creaturæ in nos sæviunt, Deũ timeamus & nõ illas, quia sub ipso

sunt omnia, & absque ejus voluntate non accidunt, quæ eveniunt. Deus, quo nihil est majus, & sine quo nihil est magnum, dum potest omnia, non tamen omnia per se agit, sed natura tanquam ministra, & rerum causis secundis tanquam instrumentis decretorum suorum utitur ad conservationem, ordinem, & ornatum universi, quando se vult manifestare infirma & fragilia mundi eligens, ut confundat fortia, & non glorietur omnis caro in conspectu ipsius. Idcirco in omnibus negotijs, quæ naturali via & arte confici possunt, à Deo miracula non sunt postulanda, sed auxilium, quod deficiente natura demum fit miraculum. Legimus enimvero Dominum de cœlo judæis manna non dedisse, nisi deficiente farina, quam secum ex Ægypto attulerant. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia Elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus tribuitur ab ipso authore. Christus mari & ventis imperat, & obediunt

ei,

ei & mens nostra toties vocata, ut à peccatis desistat, non obtemperat. Quæ omnia eò spectant, ne rerum, quæ ad nos pertinent, bonarum causam non esse, nisi bonitatem Dei, malarum ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius malorum angelorum, postea hominis, unquam dubitemus. Vt autem bonum à malo & malum à bono aliquando separari possit, Deus sub omnipotenti sua manu tria habet habitacula summum, medium, & imum quæ ita dicuntur non ratione situs aut locorum (extra enim corporeum ac visibilem hunc mundum sursum & deorsum non datur) sed præferentiæ & conditionis suæ ad visum nostrum, quibus superiora splendore solis lucidiora cognoscuntur. Summum & imum maximè sibi sunt opposita, vtraque tamen in æternum usque duratura, quorum illud beatorum spirituum est domicilium, intra mundum extra mundum, & ubique Dei visione fruentium: hoc malorum à

facie Dei abjectorum. Medium & terrenum est præsens mundus, qui in eo viventes arctam mandatorum Dei viam ambulant, post mortem mortis Christi beneficio omnibus malis exuuntur, & transponuntur in summum, una cum Angelis Deum visuri, & exilla visione æterna beatitudine fruituri. Qui latam peccatorum ambulant, descendunt ad imum, una cum diabolis æternas pœnas luituri. Mundus vero ipse peribit, & redibit in nihilum, quod fuit ante nihil, & omne malum ingredietur infernalem abyssum.

De lapsu angelorum.

CAPUT IV.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt & sine eo factum est nihil, quod factum est. & vidit Deus omnia, quæ creasset, & erant valde bona. Placuerunt, quæ facta sunt, ea benignitate, qua placuit, ut fie-

ut fierent, neque adhuc mundus displicet Deo propter rerum ipsarum naturam atque substantiam, cujus ipse author est, sed peccati deformitatem & turpitudinem, quæ per universum mundum sese diffudit. Deus sui ipsius causa omnia creavit etiam impium ad diem malum, idq; ob aliam causam fecisse non potuit, quam solummodo ad suam ipsius gloriam. Hanc enim unam aliunde accipit cæli soliq; conditor nullius rei indigus, reliqua omnia in se complectitur. Illud honoris officium ut sibi præstarent, creavit Angelos in cælo, quod ipse sibi regiam fecit. Hominibus vero solum dedit possidendum, ut non minus illi remunerantes eum muneribus suis rerum parentem agnoscerent, & sanctum Nomen ejus celebrarent. Quod si à nobis neglectum fuerit, finis ejus, ad quem conditi sumus, obliviscimur, & quo longius à fine hoc discedimus, eo magis erramus & peccamus, facimusq; adeo, ut mundum hunc creasse non

tantum Deum pæniteat, verum etiam, se non iterum perditurum, juraſſe. Nam mundus & omnia, quæ in eo ſunt, propter hominem creata ſunt, & homo propter Deum, quod mirum non eſt, cum Deus ipſe propter hominem homo ſit factus. Angeli quoq; omnes ab initio boni in perfectiſſimo ſuo ſtatu ad divini Nominis ſui gloriam à Deo ſimul creati ſunt, & retinent eundem ſubſtantiæ ſuæ ſtatum, quem ſemper habuerunt, licet integritatem ſuam ex parte non ſervarunt, nec ſteterunt in veritate & rectitudine fidei, in qua Deus fons veritatis & veritas ipſa collocaverat omnes, & à qua nunquam excidere potuiſſent, niſi in ea aliquando ſtetiſſent. Requirebatur ab illis viciſſim à Deo juſtiſſimo veritas, fidelitas, gratitudo, officium, & agnitio Dei Creatoris, qui vires quoque perſeverandi, ſi voluiſſent, contulerat. Atqui diabolus ſive Sathanas, ſerpens ille antiquus & magnus draco, quem ex peccatoribus angelis principem & reliquis

quis deteriorem fuisse, verisimile est, atque omnes assectæ ejus mali angeli sua culpa & vitio non steterunt in ea puritate, in qua conditi erant, sed liberrima sua voluntate, quam à Deo integram acceperant, licet mutabilem, à Creatore suo se averterunt, & fidem ac honorem debitum ipsi non præstiterunt. Hac infidelitate sua & superbia ex angelis lucis in angelos & principes noctis ac tenebrarum transformati, & ex ministris Dei infensissimi & perpetui ejus hostes facti proprium sibi regnum constituerunt, quod est fons, origo, & causa omnis mali, mendacij, erroris ac blasphemiæ. Illud suum serpentinum venenum nullo suo commodo, neque ulla injuria lacessiti, sola libidine peccandi, & invidia alienæ felicitatis impulsi, postea in primos quoque generis nostri parentes sparserunt. Per illos vero totum genus humanum eo infecerunt, atq; ita in hominibus imaginem Dei deformantes suam exstruxerunt. Neque ad-

huc cessant nequissimi Spiritus bellum Spirituale & armaturam suã contra genus humanum movere, & malis suis artibus, dolis, mendacijs, ac persuasionibus in errores rebellionemq; adversus Deum homines inducere, mentes eorum excæcare, corda ad omnem idolatriam & injustitiam instigare, & in ijs potenter agendo tyrannidem suam exercere, ut in jus suum & retia trahant, & secum in æternum præcipitent exitium. Attentant homines tam immediatè occulta quadam vi & spiritualibus assultibus, quam mediatè per carnem & mundi illecebras. Quando prædicatur verbum Dei, & sacer cultus peragitur, ipsi mysterium suæ iniquitatis peragunt, & quibuscunque modis ac rationibus ab auditu verbi abstrahunt homines, vel etiam semen prædicati Evangelij, ut sationis tempore famelicæ aves solent, intercipiunt, ne ad cor penetret, & humore concepto germinet ac fructum ferat. Multas malas & immúdas cogitationes

tiones eis ingerunt, ut avocent à pijs precibus & salutari passionis Dominicæ meditatione, à peccatorum utili recordatione, cordis custodia, & à firmo proposito proficiendi in virtutibus. Inter fideles hæreses, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites serere & bella excitare, summa illis voluptas est. In filijs incredulitatis longè potentiores sunt, quos laqueis suis constrictos tenent, & ad omnem suam voluntatem captivos ducunt, ut meditentur & faciant, à quibus ipsa refugit & abhorret natura, & sub humana specie belluarum immanitatem factis atrocibus & horrendis exprimant. Nonnunquam Deo id permittente corpora hominum invadunt, occupant, & horribiliter affligunt. Implent autem & intrant corda eorum, quos possident, non quod participatione naturæ suæ sive substantiæ quempiam impleant, aut ejus habitatores efficiantur, sed per fraudulentam deceptionem & malitiam habitare in ijs creduntur, quos

repleverunt. Veluti leones fame rugientes in noſtrum exitium ruunt, captantes, quæritantes, venantes quos devorent, & nunquam dormientes. Ubi leonina id efficere pelle nequeunt, vulpinam induunt, & hominum oculis res illicitas & inconceſſas ſub amabili ſpecie obijciunt, nihil aliud negotiantes præter noſtram damnationem. Importuniſſimi ſunt dæmones muſcarum more, quas quò ſæpius abegeris, eò ſæpius eundem locum repetunt, & quem ſemel peccato aliquo tentare cæperint, ſi non poſſunt à Deo cuſtoditum proſternere, aſſiduitate, ſubinde pravam cogitationem immittendo, ſuperare contendunt, & nullam nocendi occaſionem prætermittunt. Eſſe etiam inter immundos ſpiritus quandam ut roboris, ita & calliditatis nequitiæque differentiam, & inter ſe diſtributa eos habere vitia, ut unus huic, alter alij vitio præſit, exempli gratia aſmodæus libidini, ſcriptura ſinnuit. Licet Spiritus ſint ſuperbiſſimi, nihilominus immun-

munditiam non exhorrent, vel à se alienam putant, tam misera & vilis facta est eorum per culpam conditio, neque ob id erubescunt. Peccato perpetrato, ut peccatores infamentur, quoad possunt, allaborant, sic nihil manet occultum, quod non reveletur, & qui scelerum sunt authores, ijdem quoque sunt proditores. Accusant homines de peccatis coram tribunali Dei, hominibus & amorem & timorem Dei excutiunt, ut fidant in falsis, & pascant ventos, atque ita errando ipsis voluptati sint & derisui. Benefacere autem nunquam possunt, neq; homines conquiescere sinunt, sæpè ægritudines ac morbos, Deo justo suo & occulto judicio id quoq; permittente, immittentes, ut quos vincere non possunt, molestia afficiant. Sic jobum pestilentissimis ulceribus infecerunt à vertice capitis ad plantam pedis usque, & in novo testamento legimus quandam fæminam à Spiritu infirmitatis octodecim annos ita afflictam, ut recta in-

cedere non potuerit. Quin si rem verè æstimare volumus, omnes omnino morbi ratione sui principij proveniunt à Diabolo. Sunt enim effectus peccati, cujus diabolus author est. Quos ipsi aggredi non audent maligniſſimi ſpiritus, per alios tentant, & per malorum hominum converſationem corrumpunt, qui adhuc peccare neſciunt, & magis nocent per illos, quam per ſe ipſos. Ut tentandi, ita etiam poſſidendi peccatores diverſos modos habent, carnalibus facilia remiſſu reddunt peccata, avaros atque ſuperbos mutos & ſurdos faciunt cupiditate terrenorum bonorum. Omnia opera Dei diabolis inviſa ſunt, quæ quò majora, eo furioſius ea deformare, concutere & everterе conantur. Eo malitiæ delapſi ſunt, poſteaquam ſibi placentes Dei Majeſtati ſubjecti eſſe noluerunt, & gloriam ejus, quæ ipſi ſoli debetur, in ſe transferres impudentiſſimè moliti ſunt. Propter deteſtandam hanc & tyrannicam divinæ Majeſtatis affectationem, & in

Deum

Deum conditorem incomprehensibilem ingratitudinem è cælo à Dei facie in extremam pernitiem, turpitudinem, & contumeliam dejecti sunt, una cum impijs filijs suis, quorum rex & caput est diabolus sicut piorum Christus, expectantes extremum judicij diem, in quo ineluctabilis illa sententia proferetur: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Proinde quo magis mundus ad sui consummationem tendit, & latius regnum Christi prædicatione Evangelij, qua paradiso excluſi subvehimur in cælum, & morti destinati per fiduciam in Christum adimmortalitatem vocamur, promovetur, eo acrius & ferventius invidia stimulati hominum damnationi incumbunt, ut quam plurimos supplicij æterni consortes faciant Nonnunquam suo etiam malo, haud veriti Christum ipsum suis technis in statu humilitatis aggredi, non solum meditantur malum ijs, sed etiam infigunt venenatos dentes, & infligunt morsus, quorum

difficilis curatio est, quos Christus in tutelam suam vocavit, & quamdiu in carne vivunt, mille modis sollicitant ad ruinam, & facilè perderent ac deglutirent, nisi divina bonitas, quæ plus potest ad salutem, quam universa illorum malitia ad pernitiem, nefandis conatibus obstaret, & ex faucibus illorum eos eriperet. Sed non metuendum exitium ab illis malis, quamdiu contigerit adhærere summe bono illorum malitiam vertenti in cumulum gloriæ suæ & nostræ salutis. Neque enim plus audent, neque plus possunt maligni spiritus, quam concedit is, qui fidelis est, nec ultra vires nos tentari sinit, dans felicem tentationibus exitum, adversa & molestias perferendi vires, & immarcessibilem stenue pugnantibus hæreditatis æternæ coronam. Hoc nobis solatio esse debet, ne delassemur pugnando contra spirituales astutias, neq; cedamus tentationibus diaboli, sed Spiritu Sancto corroborati ac confirmati, atque verbo

Dei

Dei muniti fortiter ei resistamus, ut fugiat à nobis, ad exemplum Christi supremi in hoc certamine magistri, qui tentatus in deserto à Sathana impetravit nobis, ut virtute victoriæ ipsius vincamus & nos, qui in Christum credimus. Vincimus autem, si arma ipsi auferamus & spolia detrahamus. In voluntate nostra confidit, sine qua non potest perdere nos, quâ si Dei gratia ipsi auferamus, perinde est, ac si inimico volenti nos occidere, pugionem eripiamus. Eatenus enim debilis hostis est Sathanas, quod non potest vincere nisi volentem. Spolia detrahimus & distribuimus, cum peccata, quæ armis voluntatis nostræ possidet & conservat, plangimus, & de ijs pœnitentiam agimus, vitam in melius reformantes. Posuit Deus seductionem humanam sub potestate diaboli, ut homo probationis mercedem accipiat. Nisi enim infideles relicti fuerint, non eligerentur fideles, nisi facta fuerit refutatio aliorum, non posset fieri electio.

ctio. Omnem vero seductionem necesse est in se habere boni colorem, per quod videatur bonum esse, quod malum est, ut homo non primam speciem rerum adspiciat, sed causam rerum consideret, nec sub caligine obscuritatis bonum inveniat sine labore, nec malum sub colore boni latens sine labore evitet, & negligens nec bonum inveniat, nec malum evadat. Si malum non esset, non cognosceretur, quid sit bonum, non secus ac si ignoraretur, quid sit lux, nisi esset nox. Nec justitia Dei, qua punit, nec misericordia, qua ignoscit, fuisset cognita, nec sapientia, per quam ex malo elicit bonum, nec infinitus amor, per quem misit Filium suum in mundum, ut pro nobis moreretur. Dissensionem magnam Deus dedit hominibus, ut in ea discant, & omnia posuit in labore, ut mercedē præstet. Ipse vero ostendit nobis bene vivendi viam, hortatur, ut eam ingrediamur & pugnemus, pugnantes adjuvat, ut vincamus, vincentes coronat Nam

stipen-

stipendium boni & justitiæ pax est & vita, & Deus ipse corona nostra, promissor & præmium, stipendium mali ac peccati mors est. Tepiditas in bono multa mala generat homini, & præstat fiduciam accedendi & tentandi nos diabolo. Sicut enim muscæ in ollam tepidam incidunt, quam ferventem fugiunt, sic de multis vitijs tentat diabolus hominem tepidum, de quibus non audet tentare ferventem. Oratio fervida vincit invincibilem & ligat omnipotentem. Orante Moyse superabant judæi, eodem ab orando cessante, inferiores erant hostibus. Itidem & nos orantes diabolum facilè superamus: ab oratione cessantes scelestos instruimus. Propterea excusso torpore ac tædio verbi divini perpetuis precibus vigilandum & excubandum nobis est adversum mille technas & insidias ejus, & opera danda, ne malè credulos error in malorum vertat orbitam, & boni Angeli à Deo ordinati, ut pios cætus hominum tueantur, impietate

& pra-

& pravis moribus nostris offensi auxilio suo nos destituant. Sicut enim omnes aulicos habent adversarios, qui principem offendunt, ita omnes Angelos, qui Deum. Quanquam vero tam magna potentia est diabolorum, ut Angelorum potentia sola non sufficiat contra ipsorum potentiam longè tamen potentior est Filius Dei. Nam potentiâ humanæ naturæ in Christo habente dominium in omnes potestates visibiles ac invisibiles major est omnium diabolorum ac hominum potentia ad destruendum peccatum, mortem, omniaque opera diaboli atq; inimicorum suorum, & ad afferendum afflictis auxilium in rebus arduis & arctis. Christi auxilio & potenti fortitudine freti possumus & nos stare adversus insidias diaboli & spirituales nequitias induti armatura Dei, & omnitempore cum fervore Spiritus orantes. In illa autem infernali perditione malis angelis in perpetuum erit remanendum: reliquis,

quis, qui pia obedientiâ Domino suo adhæserunt, in suo statu æterna nimirum beatitudine & sanctitate permanentibus, & de sua sempiterna & nunquam defectura stabilitate securis. Quod utrumque Dei bonitate & misericordia illis contigit, non ullis eorum meritis. Quanquam vero in malis angelis restare beatitudinis appetitum negari non potest, spem tamen restitutionis & redemtionis nullam habent, ex eoque eos vel maximè torqueri, quod illa priventur, veritati consentaneum est. Apparet in ijs supremi judicis ira, quam perpetuo sentiunt. Nam non solum nulla liberatio damnatis est promissa, sed etiam contritio prædicta, quæ nostris accessit cladibus ultrix, & ad exemplum suum scelestis ac malevolis innumerabilia damna intulit. Præstat naturæ viribus dæmon animæ hominis, ut illi nocere queat, nec ab illo possit expelli, nisi Dei virtute, sine cujus permissione non habet potestatem in setas porcorum, multo minus

minus in hominem. Sed gratia homo dæmoni præstat, quia dæmon nec gratiam habet, nec in statu damnationis, in quo est, illam habere potest. Copiosa nobis redemptio data est ex inferno à contritore capitis serpentis, liberatore, ac Salvatore nostro Christo, Domino Exercituum, qui est robustus, qui est prævalidus in bello, & quem tanquam glorioſum victorem peccati, mortis ac inferni omnes prædicamus. Diabolo vero & angelis ejus contritis, devictis & spoliatis infernus, quo nihil horribilius, relictus, ut in illo cum omnibus impijs fædam ignominiam luant, & igni devoranti traditi & subjecti sempiternis ardoribus pœnas dent perpetuas, quarum acerbitatem, nemo est, qui possit æstimare. Potuisset Deus malos quoque angelos à se mundissimos spiritus conditos facilè salvos facere, & medium redemptioni eorum aptum habere, si voluisset, sed noluit, & ex mundissimis immundissimos factos

tristi-

tristibus tenebris abditos juste damnavit omnes.

De lapsu hominum.

CAPUT V.

CÆlo luminibus ornato & terra animalibus repleta Deus certo consilio de faciendo homine ad imaginem suam cogitavit, in quo acquiescere voluit, & in quem se totum effudit. Est enim homo insignis & admirabilis omnium Creaturarum Epitome, & inter creaturas visibiles præstantissima, cui Deus in faciem inspiravit spiraculum vitæ, & sic factus est in animam viventem. Deus Adamo non essentiam suam, sed de Spiritu suo, & se ipsum, & bona sua spiritualia communicavit, ut anima ejus semper ad Deum se converteret, originem suam quæreret, & eo major ejus dignitas & gloria esset. Fuit in illo

illo ratio illuminata, vera notitia Dei, & voluntas rectissima ad diligendum Deum & proximum, cognitio naturæ & creaturarum perfecta, & in illas imperium, facultas libera electione turpia fugiendi, honesta sumendi, quam nisi à Deo habuisset, in neutram partē ipsi asscribenda esset actionis causa. Naturali corruptioni Deus remedium afferre voluit plantando arborem vitæ, ut homo sine ullo virium detrimento longam & sanam vitam viveret. Addidit scientiæ boni & mali arborem ab eventu ita nominatam, ne quisquam ex ea gustaret, & homo reverentiam & obedientiam Deo præstaret, & quasi exercitium cultus Dei ea esset. In unica tantum arbore Clementissimus Pater constantiam suæ creaturæ experiri voluit, ut videret, qua constantia Adamus appetitum, quo posset commoveri vehementissimo, in obsequio Creatoris habiturus esset. Sed, proh dolor? rectè instituta ratio hujus obedientiæ malè cessit, & homo felici-

tatem

tatem suam non diu retinuit ad peccandum à Sathana per uxorem Evam illectus, à qua pomum vetitum accepit, & contra evidens ac expressum Dei mandatum comedit. Serpens ille antiquus naturali serpente tanquam instrumento usus primum Evam, ac per illam Adamum decepit, qui requisitus ad confitendum culpam per audaciam noluit, & in uxorem delectatam pulchritudine arboris & fructuum ejus rejecit. Sic Adamus non minus ac diabolus infidelitatis, apostasiæ, ingratitudinis, omniumque contra datam legem admissorum peccatorum reus effectus, & in media morte constitutus fuit voluntaria hac sua à præcepto jussuq; Dei discessione, totius posterioris peccati humani generis origine. Quam magnum verbum, quo interdictum erat, ne homo de arbore boni & mali gustaret, tam magnum fuit peccatum contra illud admissum. Fons enim omnium peccatorum incredulitas, & tentatio summa discedere ab eo,

quod

quod Deus prolocutus fuerat. Etsi Deus per præscientiam & omnipotentiam suam intercedere potuisset, quò minus homo malè libertate sua frui aggressus in periculum laberetur, nontamen id fecit, ne rescinderet arbitrij dati libertatem, quam ratione & bonitate illi permiserat. Oportebat enim hominem positum sub judicio Dei justum illud efficere de arbitrij sui meritis liberi scilicet, cum nec boni nec mali merces deberetur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. Ex eo igitur consecutum, ut Adamus ad imaginem & similitudinem Sanctæ Trinitatis creatus, merum purumq; organon Dei, ipsiusque voluntatis ac operum, totus spiritualis, angelicus, & divinus, volens & præsumens cognitione boni & mali Deo similis fieri, factus sit similis diabolo, terrenus, carnalis, & belluinus, non amplius Dei, sed diaboli imago atque organon, omnisque diabolicæ malitiæ capax. Adamus præceptum

ceptum Domini negligens, & suasionem diaboli audiens, curiositate sua deceptus, bonum amisit: malum vero suo damno didicit, supernaturalibus & gratuitis donis omnibus exutus, in naturalibus vulneratus, & ex Dei gratia & statu salutis in æternam damnationem prolapsus. Natura quoque Adami peccato peccatrix facta genuit peccatores, & sequentes nos omnes tam parvulos quam adultos fecit reos ac nocentes, antequam essemus, justo Dei judicio. Cum enim de Adamo, in quo omnes unus fuimus, singuli peccatum originale trahamus, pœna quoque culpæ ex Adami scelere contractæ omnes trahit in condemnationem. Aliorum parentum peccata novam in nos maculam non infundunt, ut illud Adami, sed cum rei jam simus ex illo primo, nonnunquam aditum nobis intercludunt ad Dei misericordiam. Exemplum habemus in idololatrarum filijs, quibus per se reis Deus favorem se subtracturum minatur, ne eorum

miſereatur, ut revocet impios parentes à Dijs alienis ad reverentiam Creatoris, ſi ſciant, quantum mali pariat idoiolatria. Propter hoc Adami peccatum terra maledicta, & omnes creaturæ vanitati, quæ eſt non tantum inanitas & vacuitas, privatioque boni vel ſolidi fundamenti in ſe ipſo, ſed mali & afflictionis inhærentia & acceſſio inſeparabilis, ſubjectæ ſunt. Neque enim cogitandum eſt, mundi eandem formam eſſe, quæ fuit ante peccatum, neque etiam quæ fuit ante diluvium. Canaan olim fertiliſſima regio nunc dicitur plena ſalſuginis. Si id accidit in particularibus pœnis, quid univerſales non fecerunt. Non naturæ, ſed maledictionis eſt abominabilis ſerpentis facies in paradiſo pulcherrima, & quod illa jam crudam terram vorat. Inprimis homini ipſi ptæ cæteris animantibus lugendæ ſuæ rebellionis notæ impreſſæ conſpiciuntur, ut ſunt mortalitas, multiplex corporis animique depravatio, ignorantia & difficultas,

cultas, curæ inutiles, illicitæ voluptates, sacrilegi errores, & non minor miseriarum quam criminum numerus, gravissimi & teterrimi in unoquoque nostrum peccati fructus. Servi facti sumus, & servitutem amamus, cæci facti sumus, & cæcitatem desideramus, vincti sumus, & vincula non horremus, amarum dulce & dulce amarum credimus, miseri sumus & non cognoscimus, quoniam recessimus à Deo nostro, & sine eo nihil facti sumus. Quia primus homo à Sathana ad peccandum se moveri passus fuit ac impelli, libero suo arbitrio in utramque partem à Deo sibi concesso, ut sui dominus constanter occurreret & bono sponte servando, & malo sponte virando, male utens, & se & perdidit ipsum, & malignorum spirituum tyrannidem in se suscepit, hoc est, mortem ac infernum addictus & venditus peccato. Tamdiu vero hac tyrannide detinetur, donec liberetur Christi gratia, à quo per fidem accipit & recuperat justitiam &

vitam æternam. Efficimur verè liberi, Cum Deus nos fingit, format, & creat, non ut homines, quod jam fecit per naturam, sed ut boni homines simus, & servi justitiæ, quod gratia sua facit, nova creatura in Christo, de imagine terreni hominis ad imaginem hominis cælestis, id est Christi, reformati. Et quia totus homo non tantum aliqua ejus pars corrupta est, non in una tantum nostri parte, sed in omnibus & mentis & voluntatis partibus immutari nos oportet, ut tales fiamus. Caro enim neque peccat neque concupiscit in homine sine anima, sed est officina spiritus, qui in ea & per illam peragit, quæcunque affectaverit. Omne peccatum in corde & voluntate nostra habet initium, & per corpus tanquam instrumentum foris perficitur, eo modo ac ratione, qua intus est formatum & conceptum. Cor quasi radix est hominis, cogitationes rami, opera fructus, & appetitus malarum cogitationum non desinit proferre malos fructus.

ctus. Velut quadam lege conjugij caro & anima sociantur, & vitia ac virtutes hominis fraterna quadem necessitudine copulantur, quarum illa carnalis, hæ rationalis animæ sunt, & spiritualiter vivit, qui divinæ legi obediens agit & facit, quod placet Deo, carnaliter, in vetitum nitens & opera carnis exercens. Quoniam anima nostra quodammodo est media inter Spiritum & carnem, siquidem se junxerit carni ad obediendum desiderijs peccati, efficitur unum corpus cum ea, si se junxerit Deo, efficitur unus Spiritus cum eo. Per animam intelliguntur omnes vires seu potentiæ naturales, per Spiritum illa novitas, quæ fit per Spiritum Sanctum, ut dicitur: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Qui in carne sunt, ejusque affectibus serviunt, Deo placere non possunt, qui Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Hæ duæ voluntates spiritualis & carnalis confligunt inter se, & discordando dissipant animas nostras & gravi

molestia discerpunt: quod alteri adest alteri deest. Condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem, sed lex alia in membris nostris repugnat legi mentis nostræ, & captivos nos ducit in legem peccati, in quam animus etiam invitus violentia consuetudinis trahitur, & homo familiaritate peccandi prægravatus suo merito sciens volensque illabitur. Concipimur enim in peccatis, & materna ab alvo flagitij viam sensim sequimur, perque suos gradus obliqua sectandi libido cum teneris adolescit annis. Nascimur in peccatis necessarijs, volutamur in spontaneis. Quoniam Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, voluntate nostra simplice & recta à Deo nobis donata diaboli arte & astutia divisa, non faciunt homines quod volunt, sed cadunt in id, quod valent, eoque contenti sunt: quia illud, quod non valent, non tantum volunt, quantum sat est, ut valeant, deterius inolitum semper præferen-

rentes meliori insolito. Deteriora velle nostri est defectus, & avelli inveterata non possunt. Peccata autem carni deputantur, & carnis opera dicuntur, quod foris & ex sensibus delicta proficiscuntur, & nascuntur, & caro animam non permittit ire quò vult. Cum totus homo caro dicitur de fragilitate ac vitiositate ejus pondere suo, quod est consuetudo carnalis, ruentis in exteriora, terrena inhabitatione deprimente sensum multa cogitantem, ut non possit assurgere, non de natura hominis id intelligendum. Quò propius vitia ad animam accedunt, eique inhærent, eo fortiora sunt & difficilius extirpantur. Hinc fit, quod homines facilius dimittunt carnis delitias, quam amorem pecuniæ ac vindictam. Libidinosus graviter ægrotans opera carnis exercere non potest: avara & superba mens in ultimo animæ exitu habet suum robur, & difficulter flectitur ad alicujus rei malè possessæ dimissionem & reconciliationem. Quanto

plus anima terrenis permiscetur, tanto impurior est, quanto magis à terrenis elevatur, tanto purior, divina accedente gratia, quæ supernaturale quoddam lumen est, & speciale Dei donum, electorum signaculum & pignus vitæ æternæ, redditur, & interior homo de die in diem ad imaginem Dei reformatur. Si à gratia illa excidat, & ad Christum non revertatur, anima, quamvis Christo per baptismum desponsata, desinit esse Christi sponsa, atque iterum diaboli servituti mancipatur. Nam naturæ bona bonis & malis sunt communia, electorum proprium est gratia, qua insigniti digni habentur vita æterna. Ipsa est fortitudo nostra, ipsa consilium confert & auxilium, cunctis hostibus potentior, & omnibus sapientibus sapientior, transmutans naturam, ut, quæ natura diliguntur, gratia spernantur, & quæ natura appetuntur, gratia respuantur. Qui eam retinere desiderat, gratus sit pro accepta, patiens pro ablata. Oret, ut redeat

redeat, cautus & humilis, ne amittat. Sub lege sumus damnati sententia legis in conscientia: sub gratia sumus securi in conscientia, omne peccatum nobis remissum esse Dei benignitate. Concupiscentia, quæ est & voluntatis & omnium virium nostrarũ depravatio, à qua neminem immunem clamat scriptura, cum conceperit, parit in nobis peccatum, quod, priusquam in usum venerit, leve existimatur; at mobilitate sua viget, viresq; acquirit eundo. Incipit enim à cogitatione, cogitationem sequitur delectatio, delectationem consensio, consensionem actio, actionem consuetudo, consuetudinem necessitas, his vinculis homo implicatus quasi catena quadem vitiorum tenetur adstrictus. Peccatum admittere est cadere in puteum, consuetudinem peccandi facere, os putei coangustare, ne is, qui cecidit, valeat exire. Peccatum consummatum generat mortem temporalem corporis propriam, & æternam corpori & ani-

mæ communem. Ratione peccati primorum parentum omnes patimur defectum justitiæ, & sumus natura peccatores, immundi ex immundo semine concepti, caro de carne nati, filij iræ & morti obnoxij, nihil reliquum habentes, de quo tantillum coram Deo gloriari liceat. A planta pedis usque ad verticem, nihil sani, nihil integri est in hominibus. Ne infans quidem mundus à sorde peccatorum cujus est unius diei vita super terram. Utcunque imbecillitas imfantilium membrorum innocens est, non tamen animus infantium. In Adamo omnes descendimus de justitia in injustitiam, per quam descendimus ad infernum, & de beatitudine ad temporalem miseriam, de qua cadimus ad æternam miseriam. Multis quoque rebus nos ipso Adamo etiam lapso inferiores esse, facilè negari non potest, & quoniam per ipsum tota massa nostra corrupta est, & anima ac corpore peccamus, tam anima quam corpus meretur pænam.

nam. Unus Christus à matre peccatum originale non traxit, quia Christi persona non fuit in Adamo, sed tantum ejus humana natura, nec est ab Adamo, ut à principio agente & à vi seminante, sed inde traxit materiam, quæ illapsu Spiritus Sancti à communi contagione vindicata est. Christus inventus sine peccato, attritus & vulneratus propter iniquitates atque scelera nostra pro nobis mortuus est, & redemit nos sanguine suo, factus holocaustum suavissimi odoris in conspectu Patris sui cælestis, ut averteret indignationem ejus à nobis, & considere nos sibi faceret in cælestibus. Una oblatione consummavit & perfectos effecit in sempiternum, omnes, qui sanctificantur. In Christo ascendimus & cadentes erigimur, ejus passione, morte ac merito liberamur, electione præordinamur, baptismo regeneramur, cæna Domini vivificamur, Spiritu sanctificamur, verbo Evangelij vocamur, pœnitentia sanamur, fide justificamur,

fide justificamur, spe nutrimur, charitate unimur, cruce probamur, gratia Dei salvamur. Naturæ nostræ gloria hæc est, quod suam in nobis sedem habeat diabolus, & tam in corpore, quam in anima per peccatum regnet. Non est extrinsecus malum nostrum: Intra nos est, in visceribus ipsis sedet, quod nobis nocet. Verum eo illustrior Dei misericordia ex fætidis diaboli stabulis templa sibi facientis, & ad Spiritus sui habitationem sibi consecrantis, mendicitatem ac paupertatem nostram paupertate Filij sui pensantis, qui, cum esset dives, pauper factus est, ut nos illius paupertate ditescceremus. Nam Deus unico Filio cordis sui non pepercit, sed pro nobis tradidit illum in mortem, ut satisfactionem ab eo acciperet pro peccatis nostris, & nos tantum tamq; fidelem advocatum haberemus in cælis coram ipso, qui & caro & frater noster esset. Angeli & homines peccati authores & propagatores sunt, quia soli rationabiles & volun-

luntatis Dei intelligentes. Angeli primum peccaverunt extra mundum; per Adamum peccatum intravit in mundum, sive universum genus humanum. Angeli fuerunt blasphemi, & peccarunt peccato superbiæ: Adamus lapsus est ex infirmitate, à diabolo deceptus. Angeli omnes, qui à Deo discesserunt, simul creati & simul apostatæ facti sunt: Adamus solus peccavit, & per illum ad omnes homines, qui ex illo uno sati sunt, originale peccatum propagatũ est. Gravius homines quam angeli ob peccatum puniri videntur, nempe præter æternam damnationem etiam morte corporali. Verum hominum peccatorum remissionis spes est, eorum videlicet, qui ad Christum convertuntur. Nihil enim damnationis est in ijs, qui sunt in Christo Jesu per baptismum renati & Spiritu Sancto donati. Utut omnes perversi sumus, & cum paralytico in lecto peccatorum jacemus, lex tamen est sancta, Evangelium sanctum, & pœnitentes possumus cum paralytico

sanari & salvari, quod infidelibus non est datum, quousq; credant & illi Dominum nostrum Jesum Christum esse verum Deum & Salvatorem mundi, & per pœnitentiam in sanguine ejus mundentur, qui sanguinem suum misertus nostrum pro totius mundi peccatis effudit.

De Christo Mediatore.

CAPUT VI.

ADamus sive illecebra cibi inductus, sive inordinato amore uxoris captus, sive honoris & dignitatis cupiditate impulsus dereliquit fontem vitæ creatorem suum, à quo se volens avertit, & non solum se, sed stirpem quoque suam in se tanquam radice vitiatam pœna mortis & æternæ damnationis obstrinxit. Deus vero videns sine adjutorio in profundum labi genus humanum, licet nos ipsum non dilexerimus, ipse tamen pietate & misseri-

sericordia commotus ad diligendum nos, invenit & dedit remedium, quo possimus salvari. Misit enim unigenitum suum circulo destinati temporis circumacto in carnem, propter veritatem suam, ad confirmandum promissiones patribus factas, ut iram ob peccatum nostrum conceptam singularis & unici sacrificij, cujus erant umbræ omnia sacrificia legalia, oblatione placaret, & quicquid est culparum, morte sua purgaret. Peccati & periculi nostri quantitas & gravitas Mediatorem deposcebant, qui & Deus & homo esset, homines Deo reconciliaret & conjungeret, servos peccati in peccatis mortuos omnique vera justitia destitutos solveret, & ex morte ad vitam reduceret. Oportebat enim, ut Mediator inter Deum & homines haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita Mediator non esset.

Talis

Talis fuit Christus Dei Filius, Deus & homo, consubstantialis Patri secundum Deitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem, agente utraque natura cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet exequente, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Deus, quia Dei verbum: homo autem, quia in unitatem personæ accessit anima rationalis. Neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam, & Trinitatis mysterio quarta non est addita persona. Unita quippe est, non confusa verbi Dei hominisque substantia, ut in Deum, quod ex nobis susceptum fuerat, perveniret, & illud, quod nunquam fuerat, idem, quod semper fuerat, permaneret. Quocirca in quantum Deus, ipse & Pater unum sunt, in quantum homo, Pater major est illo. In quantum verbum non medius, sed æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu Sancto unus Deus, in quantum

homo,

homo, in tantum Mediator. Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Jesus Christus, conceptus de Spiritu Sancto in virgine Maria corpus Christi ex illius carne & substantia efformante & purificante. Natus ex Maria Virgine semen promissum ad conterendum Caput Draconis, verè homo factus, ut utrumque sexum, mares nimirum, qualis ipse erat, & fæminas, ex quarum una nasci voluit, honoraret, & humanum genus in corpore suo gestando & sustentando in æternum salvaret ac sospitaret. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus & mortuus, ut nos ab æterna morte liberaret, & infinitæ justitiæ Dei propter peccatum hominis, cujus pœnam nec homo ipse, nec Angelus perferre infinitam poterat, infinita sua obedientia & pæna, quia non solum homo erat, sed etiam Deus, planè satisfaceret, & per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habe-

habere communem. Christus enim opus redemptionis sive mediationis obire voluit, non secundum quod homo tantum est, sed secundum quod Deus & homo est, adeoque mediator, redemptor, & Salvator noster esse secundum utramque naturam. Quicquid passus est homo non potest dici non passus esse Deus, & quam verè Deus homo est, tam verè Deus mortuus est, qui tradidit morti proprium corpus. Quanquam divinitas passa non fuerit, sed quieverit sustentans humanam naturam, neque exeruerit potentiam suam contra vocationem, ut humana natura pati ac mori posset, attamen propter naturarum unionem in Christi persona & idiomatum communicationem proprietas uni naturæ conveniens rectè quoq; tribuitur personæ in concreto, ad quam Salvatoris Caro verè intromissa est. Eadem ratione mors sponte admissa vinculum quidem naturæ dissolvit, animamque à corpore sejunxit, sed arctissimum unionis

nionis personalis nexum minimè disrupit, propter quem Christus in triduo mortis verus homo permansit, neque corruptionem vidit, quoniam nec ab anima unquam separata fuit divinitas, nec à corpore. Quomodo autem corpus Christi verè fuerit mortuum, & nihilominus in morte permanserit verbi omnia vivificantis proprium templum personaliter illi unitum, Angelorum & hominum captum excedit. Descendit ad inferos, ut Sathanam cum toto imperio suo, dolis & malitia subigeret, & inefficacem redderet ad nobis nocendum. Unus ille liber in mortuis, habens potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam resurrexit à mortuis, ut victor mortis nos in novam vitam transferret. Ascendit ad cælos, ut consummatis omnibus, quæ ad nostram salutem pertinent, à Patre honorem acciperet supra omnes Angelos elevatus. Descendit Deus primogenitus omnis creaturæ, in quo condita

sunt

sunt universa in cœlis & in terra, visibilia ac invisibilia, ascendit homo, ut caro expiatis peccatis nostris verbi solium in dextera Dei Sacerdos noster in perpetuum sibi vindicaret. Egressus ejus fuit à Patre, regressus ejus ad Patrem, excursus usque ad inferos, recursus ad sedem Dei. Quamvis vero Christus Dominus confitendus in gloria Patris, à quo suscitatus accepit omnem potestatem in cœlo atq; in terra, omnia sibi sine ulla exceptione subjecta tenens, humanis oculis in humana specie non amplius sit conspicuus, nunquam tamen abest ab Ecclesia sua & membris ejus. Adhuc enim est nobiscum secundum Majestatem suam, secundum providentiam, secundum potentiam & gloriam, secundum ineffabilem ac invisibilem gratiam, quibus omnibus cognoscitur Deus, veluti homo suo nomine dignoscitur. Habet ipsum Ecclesia Caput, Regem, ac defensorem contra omnes hostes,

habent

habent fideles secum, quem non videns, habent præsentem per Altaris cibum ac potum, divina potentia in humana natura sive in carne & cum carne operante ea, quæ sunt supra naturam. Si corporaliter præsens esset, non crederetur, sed videretur. Cum autem absens sit, ubique creditur, dum timetur, ab omnibus gentibus colitur, ubique adoratur, & omnibus ubique tribuitur æqualiter. Ah! quanta est bonitas, miseratio quanta Jehovæ, quod Deus nullo jure & merito nobis obligatus unigenitum suum Filium, qui omnia fecit & sustentat verbo potentiæ suæ, nobis donavit, accum illo omnia, & peccatum nostrum, quo nihil tetrius, nihil tristius, projecit in illum, ut, qui peccatum non novit, fieret peccatum, sive esset hostia & victima pro peccato, non suo, sed nostro, in nobis, non in se. In nos vero per mortem ejus ut sufficiens & æquivalens pretium

pro

pro peccato transfertur omnium summum, justitia Dei, non nostra, in ipso, non in nobis. Verè Deitas humanam induta naturam, & omnium infirmitatum nostrarum, ut sunt in animo, mæror, metus, tædium, in corpore, fames, frigus, sitis, non quæ à peccato ut causa particulari oriuntur, veluti morbi, particeps facta ascendit crucis patibulum, & in assumpta carne triste tulit supplicium, non ulla cogente necessitate, sed potenti dispensante sapientia. Justissima enim damnationis pœna, quam merebantur peccata nostra, aliter non potuit redimi, nisi severissima sententia lata adversus Dei Filium. Nullum in corpore Christi fuit membrum, quod non passum fuerit dolorem, quoniam nullum in nobis est membrum, quod non inserviat peccatis. Pati autem injustè, & posse resistere, & nolle, gloria est patientis, & damnatio occidentis. Pater illi hanc bonam voluntatem dedit, quamvis liberam, & ille velut præceptum Patris

acce-

accepit, eoque modo obediens Patri factus fuit usque ad mortem, & calicem bibit, quem ipsi dedit Pater, ut, qui esset creator, esset etiam redemptor, & homo redimeretur de suo. Frustra ergo nobilitatis titulos usurpamus servilis hæreditas. Nam omnes in servitute generati Christi liberti sumus. Sed gloriosa libertas sub Christo, quam nulla servitus culpæ, nulla peccatorum macula constringunt. Summa gloria nostra, quod tali pretio æstimati sumus, ut sanguine Domini redimeremur, & nulla merx Deo gratior, quam quæ habet pietatis munera. Non necessitate, sed mera Dei gratia & benigna in nos voluntate, ineffabilique potestate hoc factum, neque Sathanas vi & tyrannica quadam potestate in redemptione generis humani victus est, sed jure & justitia, potentia nimirum sanguinis Christi immaculati & pretiosi, ut per eandem creaturam rationabilem superaretur diabolus, quam se superasse gloriabatur. Eam

ob

ob causam genus humanum Christus assumpsit, non crimen humanum, veritatem incarnationis, non speciem, naturam, non culpam, & quia propter peccatores venerat, de peccatoribus nasci voluit, ut omnium peccata deleret, & ne minus nobis conferret, affectus quoque nostros suscepit. Deus Verbum factus est sub lege, quam dedit, factus ex muliere, quam fecit, ut esset nostra sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio. Sapientia in verbi prædicatione, justitia in peccatorum absolutione, sanctificatio vitæ exemplo & conversatione, sed & Spiritus sui in nobis agentis efficacia, redemptio, pænam & mortem, quam nos meriti eramus, sustinendo. Non Pater carnem assumpsit, non Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut, qui in divinitate erat Dei Patris Filius, fieret in homine matris Filius. Neque tum primum incepit Dei verbum persona esse, cum carnem assumpsit, sed cum persona jam esset, eaque divina, natu-

ram tantum humanam in ipso conceptionis momento ad eam assumpsit, & ex tenore utriusque naturæ facta est unitas, ut impossibile sit, quod junctum est, separari ab invicem. In his omnibus natura divina non est humiliata, sed humana exaltata, non illa imminuta, sed hæc misericorditer adjuta, nèque divinitas in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas, nec creatura sive caro in divinitatem, ut desisteret esse creatura. Omnes alij homines non possunt non peccare, cum in peccatis omnes sint concepti. Virginem quoq; Mariam, honore afficiendam non adorandam, in conjugio secundum communem naturæ ordinem natam, licet insignibus donis Dei supra omnes, quotquot unquam fuerunt vel erunt mulieres à Deo gratis ornatam, Christi matrem atque organon Dei selectissimum, in originali tamen peccato conceptam & natura peccatricem fuisse, dubium non est. Solus Christus justus, virtute Spiritus

Sancti immaculatum corpus de virgine Maria suscipiens, nec generationis nec conceptionis injuriosa concretione fuscatum, omni peccato caruit, ne pro se pati non pro nobis censeretur, ex eo agnitus verus Dei Filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione, plenitudo gratiæ & veritatis, per quem ille, qui omnia in omnibus perficit, solet complere & perficere omnia in omnibus. Christus ex nostra generatus substantia ad omnes pertinet. Nam si ad naturam nostram descendit, patet, quoniam ad omnes, & si ad omnes, etiam ad unumquemque nostrum. Quod vero non omnes lucrum inde consequantur, non illius causa, qui maxime hoc optat, accidit, sed eorum culpa, qui illum suscipere nolunt. A Christo nobis dato non propter temporalia bona, sed ad salvandum animas, ad redimendum nos à peccatis, ad largiendum vitam felicitatemq; perpetuam, vocamur Christiani,

stiani, ossa de ossibus ejus, & membra de membris ejus, ex meritis benedictissimæ passionis ejus fabricati. Omnis veræ solidæque lætitiæ nostræ Christus expressa imago paternæ substantiæ, unigenitus & proprius Dei Filius fons & origo est, quæ nulla diuturnitate seculorum minui vel extingui poterit. Nam pretio sanguinis ejus empti sumus, ut cogitantes pretium nostrum in illo in æternum exultemus, ipsum laudare possimus, & per ipsum sedentem ad dexteram Patris omnipotentis in invisibilium amorem rapiamur. Christus fidelibus petra salutis, infidelibus petra offensionis, & crux Christi judæis offendiculum, græcis stultitia: his vero, qui credunt, Christus Jesus crucifixus Dei potentia & sapientia est, demonstratus antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ salvi fierent. Christus pauper natus est, pauper vixit, pauper mortuus est, & paupertas ejus nostrum est pa-

trimonium nostram ditans egestatem, & cum nostra nobis vita facta esset mortis ingressus, ejus mors nobis facta est vitæ initium. Christus innocens, in quo dolus non inventus, & tamen inter iniquos deputatus est, duos nimirum, quos dextra lævaque legimus pependisse, latrones, ut nobis servis suis imo hostibus ministraret ad perpetuam salutem, & nos omnes lavaret à peccatis nostris per sanguinem suum, est Mediator noster, & proinde reconciliator Dei ac hominum, sive propitiatio, pax, & salus nostra, auriga animarum nostrarum, novus sol justitiæ nulli suæ vivificæ gratiæ radios invidens, nisi quis eos excluserit invidens ipse sibi. Christus à Patre in hoc missus est, ut, quæ Sathanas per peccatum mala nobis inflixit, per ipsum sanentur, & nos sanati in amissam æternam gloriam restituamur. Christus Jesus est admirabilis ille, per quem Dei Majestatem laudant, adorant & admirantur omnes cælestes cives. Christus con-

cõsiliarius sacrati divini consilij: Christus verus Deus: Christus fortis dæmonem & Infernũ superavit: Christus pater futuri seculi regnum cæleste nobis comparavit, &, ut nos in filios Dei adoptaremur, effecit: Christus princeps pacis pacem nobis cum Deo restituit, & cælesti Patri sanguine suo & morte nos reconciliavit. Regnum ejus regnum sempiternum non dissipabitur aut commovebitur: Omnia alia regna communientur ac abolebuntur. Judæi in hunc usq; diem exspectant Messiam divitem ac præpotẽtem temporaliter regnaturum, cum illo terram promissionis iterum ingressuri & veteres legales cærimonias resumpturi, quamvis omnes Prophetæ testentur, Messiam non venturum ad temporale regnum suis præstandum, sed æternum, ad redimendum Israël ex omnibus iniquitatibus, & ad salvandum animas in vitam æternam. Ad hoc enim nobis condonantur peccata, ut vitam æternam consequamur.

Nihilominus miseri judæi, velamen super cor habentes permanent in cæcitate sua, quoniam Domino peccaverunt. Ex lege & Prophetis Messiam jam venisse clarè apparet, & nos omnes cernimus, ipsi etiamsi libros habeant & legant, videre tamen id & intelligere non possunt. Hoc fine enim præcipuè & primario consignata est Sacra historia, ut ex ea constaret, Servatorem mundi è semine Abrahami & regia Davidis familia, priusquam deleretur politia judaica, venturum esse, quæ deleta irrefutabile argumentum est, Messiam jam venisse. Nullum vero alium præter solum Jesum Nazarænum filium Mariæ verum Messiam esse Patriarchis promissum & per Prophetas prædicatum Johannes baptista, miracula Christi, & vox Patris luculentissimum dederunt testimonium, & tota scriptura de ipso testificatur, cui attendentes sicuti lampadi lucenti in loco caliginoso benefaciunt. Etsi scripturæ de Christo testificen-

ficentur, & quæ scriptura tradit, in illum solum competant, judæi tamen excæcati & obstinati in sensu suo scandalizantur audientes Christum Crucifixum esse Messiam suum Salvatorem, & in illum non credunt. Gratis oderunt judæi Christum Dominum Messiam suum traditi in manus gentium & dispersi in universum orbem terrarum in luctu, in squalore, ignominiaq; senescentes, in signum incredulitatis eorum & testimonium nobis, ne & nos cornua falsæ libertatis erigamus adversus Deum, & pertinaciter respuamus sacrosanctum Evangelium, quod à Domino accepimus, in quo & stamus, & per quod salvamur, & idem nobis obdurantibus corda nostra contingat, quod ingratis judæis contigit.

De Justificatione,

CAPUT. VII.

JUstificatio est actio Dei, qua ille nos

in hac vita in gratiam recipit, in filios adoptat, & ad hæreditatem vitæ æternæ admittit. Differunt justificatio & justitia, quod justificatio se habet ad modum actus transeuntis, quo constituimur sive denuntiamur justi, justitia se habet ad modum actus permanentis, quo jam sumus justi. Justitiæ nostræ causa formalis est justitia Christi non quidem simpliciter & absolutè considerata, sed nobis imputata; Justitia Christi non essentialis, quam cum Patre & Spiritu Sancto obtinet, sed quam acquisivit agendo implens legem, & patiendo satisfaciens pro nobis est causa efficiens promerens nostram justitiam. Causæ instrumentales à parte Dei verbum & Sacramenta, à parte nostra fides, non habitus intellectus puta cognitio & assensus, sed habitus voluntatis videlicet fiducia, qua voluntas in promissionibus divinis & merito Christi acquiescit. Passio autem & meritum Domini nostri Jesu Christi est illa materia, ex qua constat,

Chri-

& in qua justitia nostra, quam fide apprehendimus, consistit, & ex qua vita æterna ad nos redit, & legis impletio, quam Christus pro genere humano præstitit, & non tantum ut integra, sed etiam abundans satisfactio omnibus credentibus applicatur. Cum enim Deus sit justus, voluit habere compensationem pro peccatis nostris, quam, cum nos ipsi præstare non possemus, Christus illam pro nobis præstitit. Christus homo factus est, passus est, mortuus est, & resurrexit non sibi, neq; alicujus majoris gloriæ assequendæ gratia, sed humanæ naturæ in nobis glorificandæ causa. Christus salutaris victima in patibulo crucis oblata sua passione peccata nostra expiavit, & sanguine suo pretiosissimo effuso & contumeliosissima morte nos redemit ab exilio & infernalibus pœnis. Christi merito coram DEO justificamur, quod nobis à DEO imputatur, & fide à nobis apprehenditur, non ex operibus

legis, quam servare non possumus, sed gratis, ut Dei misericordia sit evidentior, & homo infirmitatis suæ sibi conscius viribus proprijs diffidat, & ad Christum confugiat. In Christo ad æternam vitam renovamur, ex Christo per fidem regeneramur in filios Dei, imo filij Dei cum ipso constituimur, in Christo nova creatura existimus, & per nomen ejus remissionem omniũ peccatorum nostrorum accipimus. Aliud nomen sub cœlo hominibus non est datum, in quo oporteat nos salvos fieri, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvari, quemadmodum & patres in veteri testamento. Quia Christus semper fuit, electi quoque ab initio mundi usque ad finem salvati sunt, salvantur, & salvabuntur in, per, & propter Christum Crucifixum & mortuum pro totius mundi peccatis, idque uno modo per solam nimirum fidem. Vera & integra gloriatio nostra in Deo est, quando profitemur nos vera Justitia carere,

carere, & statuimus, nos sola fide justificari, eoque ipso gratis quoque constitui filios ac hæredes Dei. Propterea nihil tribuendum, multo minus fidendum ullis nostris meritis aut virtutibus, sed soli Christo Filio Dei, qui per fidem se ita nobis donat, ut justitiam seu obedientiam ejus possimus opponere judicio Dei, & ab æterna morte servari. Unus est Deus, unus etiam conciliator Dei ac hominum homo Christus Jesus, qui solus torcular calcavit, & dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, & quæsivit & vocavit nos non sequærentes in admirabile lumen suum, illuminator & liberator noster, extra quem non est lux neque salus. Christus æterni Dei Filius intuens cor Patris sui diligit nos propter Patrem suum, &, ut Patri obediret, mortuus est nostri causa. Æternus Pater intuens vulnera & desiderium Filij, recipit nos in gratiam propter meritum & obedientiam Filij sui, quia Filius meritus est, & Patrem pro-

pter hoc rogat. Dilectio Christi erga nos non nascitur à perfectione, quæ in nobis hæret, cum neq; in corpore neq; in anima nostra quicquam boni sit, sed quæ in ipso inest, neq; nascitur ex eo, quod ille in nobis videt, sed quod videt in cælesti suo Patre, & Pater intuens Filium condonat nobis omnia peccata propter meritum Filii sui dilecti, in quo ipsi benè complacitum est, & in cujus sacrosancto merito acquiescit. Ab hoc infinito ac ineffabili intuitu Filii ad Patrem & Patris ad Filium refulgent & resplendent radii divinæ gratiæ in Ecclesiam, & tota salus nostra provenit, quæ ratione quidem nostri est gratia DEI, ratione Christi meritum & satisfactio. Christus instaurator humani generis de suo dependit innocentissimè, quod Adamus nocens contraxit, & omnia, quæ per Adamū amisim9, incredibili & admirāda nostri charitate sua passione, morte, ac resurrectione nobis recuperavit. Ut enim Sathanæ inflatā superbiam, qua

am, qua genꝰ humanū captivum tenebat, retunderet ac ſuperaret, in ſua humilitate congreſſus cum tenebrarum principe maxima humilitate maximā proſtravit ſuperbiam. Ipſe vèro glorioſiſſimus victor ex anguſtia ereptus cælum conſcendit, & nobis morte ſua ex anguſtiis noſtris æternum liberatis cæleſtem beatitudinem Adami culpa amiſſam reſtituit, iterum appariturus omnibus expectantibus ſe in ſalutem. Sunt hæ quaſi duæ ſtirpes generis humani, Adamus ex quo perditio ad nos, & Chriſtus ex quo ſalus & redemptio noſtra fluit. In Adamo omnes morimur: in Chriſto omnes vivificamur. Adamus ſua per naturam in nos transfundit: Chriſtus ſua per gratiam confert. Adamus unus unum miſit peccatum in mundum: Chriſtus vero non ſolum unum illud, ſed cuncta ſimul abſtulit, quæ addita invenit, in quo eò excellentior Chriſtus Adamo. Nam & ab originali, atque ita Adami, & pro-

propriæ actionis, atque ita à paternis & proprijs peccatis nos liberat. Quin multo plura, quã debebamus, pro nobis solvit, tantoq; plura, quanto guttulam exiguam pelagus immensum excellit. Ubi enim abundavit peccatum, ibi gratia multo magis abundavit, non ratione numeri, quasi in plures pertranseat Christi gratia, quam in quot peccatum originale, sed ratione rei ipsius, quia plura delicta delet Christi gratia in electis, quam Adami peccatum in eos contulit. Christi sanguine omne peccatum tollitur, aliud piaculum sive mortalium sive venialium non est quærendum. Anxia enim & perterrefacta corda, quæ cum peccato & ira Dei luctantur, si non credunt, se propter Christi sanguinem in gratiam recipi, alium portum non habent, ad quem confugiant. Christus peracta expiatione gratuitam nobis veniam offert, qua exempti à reatu mortis reconciliamur Deo. Deinde Spiritu suo Sancto nos sanctificans à Sathanæ tyrannide vindicat, ut justitiæ vivamus,

atque ita virtus Christi salvifica in nobis omni & operum & virturis nostræ fiducia vacuis veritatem suam exercet, & gratiam operatur. Illa gratia ex plenitudine Christi haurienda omnibus offertur, qui fide & obvijs pectoribus amplissimum redemptionis beneficium amplectuntur, & promissionibus Evangelicis firmiter credunt, & Sacramentis, ad hoc ordinatis, ut illis veluti manu justitia legis Christi sanguine parta nobis porrigatur & applicetur, rectè utuntur. Nam Deus homines non trahit aut allicit absoluta sua potentia, verum hoc facit secundum modum & ordinem, quem instituit. Quod dicitur, Deum iniquitatem omnium nostrum posuisse in Christo, & ipsum dolores ac labores nostros portavisse, de sufficientia meriti Christi & potestate, non de applicatione ejus, in qua justificatio nostra consistit, intelligendum. Non enim illi, pro quibus Christus etiam efficaciter mortuus est, prius fructum meriti ip-

ti ipsius actu percipiunt, quam ipsis per fidem & Sacramenta applicatur. Nullis vero applicatur nisi credentibus & pœnitentibus, quo tanquam principali imo unico mandato tota Evangelij doctrina succincta est. Quoniam pœnitentia divina præeunte gratia quodammodo in nobis est, & nostra potestate, illa semper exigitur, & nulli ejus venia ac gratia conceditur. Ideo semper à nobis opera danda, ne hæreditatem regni cœlestis, quæ per gratiæ divinæ pignus quidem defertur, sed non statim acquiritur, socordia non adeundi, aut malitia repudiandi amittamus. Sumus quidem justitia Dei in Christo, sed servatis gradibus, primo imputatione coram Deo, deinde inchoatione in nobis ipsis, & denique consummatione in vita æterna. Sicut mandatum arguens peccata hominum universale est, ita promissio gratiæ etiam verè & sine simulatione universalis est. DEUS verax, in quo non sunt contradictoriæ volun-

voluntates, omnium salutem desiderat, & misit Filium suum in mundum ut aboleret peccatum, ejus meritum in infinitum majus est, quam totum regnum peccati. Dubium igitur nullum est, quin omnes, qui vere credunt in Christum, coram DEO Justi sint, & habeant vitam æternam. Constitutum enim est à DEO, ut, qui credunt in Christum, salvi sint sine opere sola fide, gratis accipientes remissionem peccatorum. Sed ad Christum nemo venit, nisi quem pater traxerit. Propter lapsum enim Adami & culpam ex eo singulis inhærentem omnnes vinculo damnationis sumus obstricti, & sine DEI gratia præveniente, adjuvante, & flectente nos ad Christum venire non possumus. DEUS est figulus noster & nos lutum ejus, & per omnem vitam usque ad mortem manemus lutum figuli hujus, ab ipso invenimur, paramur, regeneramur, illuminamur, accipimus, in iis, quæ

supra

supra nos sunt, & ad Deum attinent, liberum arbitrium nullum habentes. Nequitia & scelus infecêre animos, & dira vis superbiæ sibi regna vindicat cordis nostri, quod nisi Deus à maculis pudendis repurget, & illuminans illud refingat, pereundum nobis est in peccatis nostris Natura nostra vulnerata, sauciata, vexata & perdita est, vera confessione non falsa defensione opus habens. Excusando enim se accusat, & defendendo prodit coram Deo, sicut Sara uxor Abrahami ridendo peccat, mentiendo gravius peccat, atque ita non agnoscendo peccatum in pejus incidit. Natura bona conversa est in malam, sed remansit ipsa, ut testimonio sit creatori. Ratio enim hominis tanquam scintilla latens in cinere retinet adhuc judicium boni & mali, veri & falsi discrimen, sed impotens est ad adimplendum omne, quod approbat, & alio lumine illustranda, ut particeps fiat cælestis veritatis. Voluntas vero immutata captivo modo,

non

non tamen coacto, versatur in vitio, neque inde emergere potest, post peccatum primum Adami serva peccati facta. Non quod servili necessitate & coactus quispiam peccet, sed sciens volensque peccat, quicunque peccat, & nemo liber à justitia est, nisi arbitrio & consensu suæ voluntatis. Quanquam secundum naturam sit homini, ut bonæ sit voluntatis, vitium tamen, quod per malam voluntatem irruit in naturam, quo Deum fugit, & cupit sine Deo esse, non naturæ superatur virtute sed gratiæ. Velle nobis adjacet, sed perficere non possumus, nisi divina nos confortet potentia, & quod possumus, aliquando nolumus, nisi Dei voluntas fiat sicut in cælo & in terra. Sanè usurpatio organorum fidei & obedientia ministerij externa est in nostro sita arbitrio. Fides vero ipsa & obedientia Evangelij ex Deo est, qui per externam obedientiam ministerij, siquidem fides ex auditu est, operatur obedientiam fidei, & trahit nos per spiri-

Spiritum suum, ut veniamus ad Christum. Deus est, qui dat intellectum inspirat consilium, corq; ipsum illuminat, & fidei affectionibus imbuit: voluntatem quoq- nostram receptricem & famulam donorum suorum præparat. Absq; ejus ope & opere ad cognitionem veritatis pervenire non possumus, multo minus in fide, quæ per dilectionem operatur, permanere. Deus lux est, lux filiorum lucis, & dies nesciens occasum, in qua ambulant filii ipsius sine offensione, & sine qua omnes, qui ambulant, in tenebris sunt, quia lucem mundi non habent. Quo magis à vero lumine elongamur, eò magis peccatorum tenebris involvimur. & quo magis sumus in tenebris, eò minus cognoscimus laqueos ab inimico positos in viis nostris, & cadimus in eis, nec curamus surgere, ignorantes nos cecidisse. Deus vero lux mentis illuminat oculos nostros, ut videamus & cognoscamus eos, ne corruam9 in conspectu adversariorũ nostrorũ, à ruina suscitans

nos, & post lapsum reparans. Deus omnipotens infinitæ pietatis, svavis & patiens, & in misericordia omnia disponens portat, dirigit, & consolatur justum, sed prius eum justificat impium, & beat in se, mutans animam ejus fide ac Sacramentis suis, ut evigilet in amore misericordiæ suæ, & dulcedine gratiæ suæ, qua potens est omnes infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Una spes, una fiducia, una promissio misericordia Dei, qua eriguntur elisi, & non cadunt, quorum DEus fortitudo est. Omnia possumus in eo, qui nos confortat, & sagittans cor nostrum charitate sua de nigris lucidos, & de mortuis vivos facit. Miseretur enim Deus pauperum, dans illis de bonis suis, & inopes ditans optimis donis, quoniam diligit pauperes, & divites eos facit, divitiis suis. Elatos vero ac superbos, qui se divites existimant, cum sint pauperes, dimittit inanes. Non est igitur hominis volentis neque currentis opus justificationis

nostræ, sed solius Dei miserentis, ab initio fidei usq; ad perseverantiæ consummationem, donum, quemadmodum & ipsa salutis perceptio, ne homo gloriaretur, & iterum superbia in ipso nasceretur. Qui autem vult gloriari, glorietur scire & nosse se Deum, qui facit misericordiam, judicium & justitiam in terra. In illius voluntate posita est virtus salutis nostræ, &, uti ex nobis venit perditio nostra, ita salus & beatitudo nostra à Deo, non ex operibus, sed ex vocatione secundum electionis propositum ad vitam in Christo Jesu nos præordinante. Justum enim & æquum est, cum regnum cælorum sit donum Dei, ut in dantis non accipientis potestate & voluntate sit, cui illud conferre velit, & nemo intret æternitates ejus, nisi quem ipse induxerit, qui ex nihilo cuncta creavit. Is ergo rogandus & obsecrandus per viscera misericordiæ suæ, ut pretiosi Filij sui sanguinis balsamo vulneribus nostris medeatur, nosque omnes vitæ

& sa-

& salutis sempiternæ participes faciat, quia necesse est fieri, si voluerit, cum omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiant. Divina pietatis prærogativa servantur, quibus & voluntas Dei opitulatur & gratia. Non alia via comparandi roboris idonei ad consequendum vitam æternam quærenda, quam amplecti Mediatorem Dei ac hominum hominem Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Non enim Deus nos posuit in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vivamus, sive moriamur, cum illo vivamus. Omnis qui credit in eum, non confundetur, aut spe sua frustrabitur. In Christo nos Deus amavit, & nobis prospexit ante jacta mundi fundamenta, & quicquid nobis lucis aut gratiæ admetitur, agnoscitur esse rivulus ab amore illo æterno. Nos vero miseri homines quid sumus, quod Deus in Majestate sua dignatus est nos

visere,

visere, & peculiari munificentia prosequi? Vermes & putredo, figmenta fragilis luti, quibus nec bulla levis vanior est, nec fumi volucris vapor. Nihilominus Deus benignissimus humani generis conditor, amator, & conservator nos deperditos inimicos suos, filios iræ, servos Diaboli, & reos æternæ mortis patria sollicitudine curavit, antequam essemus & misso Filio in tempore plenitudinis effusione pretiosissimi sanguinis ejus de gravi servitute & horrenda morte libreatis cæli fores pandit, portamq; justitiæ aperuit, per quam intrare possumus in vitam ac gloriam sempiternam. Nullus acrior stimulus esse potest ad Deum amandum, laudandum, & bona opera facienda, quam agnitio amoris illius, quo Deus ante jacta mundi fundamenta in Christo nos est complexus. Neq; aliud grandius levamentum ærumnarum nostrarum dari, quàm cogitare, omnia etiam acerbissima cedere in bonum iis, qui credunt

dunt in Christum, per quem reconciliati & Dei Amici facti sumus. Tibi Domine Jesu Christe, qui es redemptio nostra, misericordia nostra, salus nostra, gratias quas possumus maximas agimus, & laudes offerimus quamvis impares immensis laboribus spontanea voluntate susceptis, & infinitis beneficiis nobis nescientib9 ultrò præstitis, cum DEus à nobis offensus pro nobis mori voluisti ut peccatores viveremus. Fac, ut memoria passionis tuæ & meditatio tuorum beneficiorum accendat in nobis tui amorem & in exilii nostri ærumnis in tui adventus solam sperantes consolationem ardenter desideremus glorioſam tui vultus contemplationem.

De Baptismo.

CAPUT VIII.

CHristus mortuus est peccato, ut in nobis omnibus, qui ejus carnis &

naturæ participes ſumus, peccatum extingueret, quatenus illi per fidem conjuncti ſumus. Sic & nos mor- voluit peccato per ſacrum baptiſma- tis lavacrum, quo eluuntur ſordes ani- mæ noſtræ, ut aqua ſordes corporis, & illud eſſe expiationis noſtræ elementũ, quod præ manibus ubiq; præſens habe- mus. Qui enim crediderit, & baptiza- tus fuerit, ſalvabitur. Ecce facilitatem veniæ, Deus nobis dedit cor ad creden- dum & ubiq; fluit aqua. Circumci- ſio, ſacrificia omnesq; cerimoniæ ac ritus lege Moſaica introducti adventu Meſſiæ, cujus umbræ erant, deſierunt & in locum eorum Chriſtus Sacramen- ta ſua ſurrogavit nempe baptiſmum & cœnam Domini. Sunt illæ actiones à Chriſto inſtitutæ applicantes certo ri- tu externum & viſibile ſignum, ſimul id, quod interne & inviſibiliter perag- tur, figurantes. Sacramentum bapti- ſmi in ſpecie eſt actio, à Chriſto inſti- tuta, tingendi homines aqua in nom- ne Patris, Filij & Spiritus Sancti, ut fi-

des

des, & per fidem regeneratio & adoptio vel conferatur vel confirmetur, & obsignetur. Rectè autem hoc Sacramentum baptismi nomine commendatur, quia non solum abluit sordes & maculas animæ, sed etiam tingit eam, & imbuit divina gratia. Hoc sanctũ baptismi lavacrum in aquis instituendum nemo usq; ad adventum Christi ausus est tentare Messiæ reservatum, in cujus adventu fons domui David & habitantibus in Hierusalem à Johanne Baptista in pœnitentiam, & velut præexercitatio quædam & baptismi Spiritualis rudimentum, apertus est, à Christo in ablutionem peccatorum nostrorum confirmatus. Nam pactum circumcisionis in veteri testamento æternum Deus constituit, non in manufacta circumcisione carnis, sed cordis & malarum affectionum animæ sive cupiditatum nostrarum. Succesſit ei in novo testamento baptismus, per quem mundantur cor & anima, delentur peccata, purificatur homo, confer-

tur gratia, & sumus nos circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu non in carne fiduciam habentes. Adveniente enim luce umbræ & tenebræ fugiunt, cum omnia quæ de Christo scripta sunt, per ipsius mortem ac resurrectionem sint consummata, ut & legis cæremonialis observantia. Domus Jacob terrena cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Domus vero jacob, ubi spiritualis est circumcisio cordis & vitiorum habet regnum, quod alteri populo non tradetur, in quo Christus sedet super sedem ac solium David, quæ sedes est gens sive populus credentium, regnatq; in æternum. Adamus qualis à Deo, tale omnium & omnibus est principium, qualis in se, talis est in filijs, ut ipse sit verus pater, & filij verè filij. Animam autem cum corpore propagari necesse est, ut homo sit ab homine filius à patre, & pater in filio, Vt anima est in toto corpore & singulis ejus partibus tota, & tamen longè

ab

ab illis distincta, ita quoq; tota est in semine, & longè ab eo alia. Semen, ut corruptibile mortale, & terrestere principium animam generare non potest, neq; anima descendit ab anima tanquam materia aliqua, sed tanquam à suo principio cæleſti & spirituali, salva sua natura & luce sicut lumen à lumine, fax à face accenditur. Multiplicat se spirando per semen tanquam medium interveniens modo quodam ac ratione humanæ sapientiæ ignota. Voluit enim divina providentia, ut similia à similibus perpetuo ordine enascerentur, & eadem singularum specierum ratio ordo & conditio servaretur, & sic ex unius sanguine totum genus humanum propagaretur. Nihil sanè absurdi sequitur, si statuamus Deum hoc efficere, ut ex anima parentum emanet alia, quæ sit ejusdem qualitatis cum parentis anima, idq; toties posse, quoties ei videbitur. Si Adamus lapsus non fuisset, sobolem similem sibi justam & sanctam generasset. Per

animam vero cum corpore peccando vitiositatem sibi contraxit, quæ in omnes posteros ipsius ab ipso uno derivata est, & venenum peccati per corpus ac animam, per ossa atq; medullas omnium hominum ita diffusum, ut non solum eximi plenè non possit, sed ne quidem agnoscatur peccatum esse. Ex hoc gignunt omnes, quod adhuc vetustum trahunt, & non ex hoc, quod lex in novitate promovit eos inter filios DEI. Non enim generant parentes filios secundum generationem, qua denuo sunt nati, sed secundum eam, qua carnaliter & ipsi prius sunt generati scilicet concupiscentiam, cum qua oportet nos, quamdiu, vivimus, pugnare. Legitimè factum est, ut homini, qui non obedivit suo superiori, non obediret suum inferius, caro videlicet. Sensit namq; primam inobedientiam in ea parte corporis, in qua congruè facta est circumcisio, remedium contra peccatum originale in lege Mosaica, & nunc baptismus

ſmus in lege Evangelica. Quicquid gignitur ex carne, caro eſt, & non generatio, ſed regeneratio pios & ſanctos facit. In Chriſto enim Jeſu neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed nova creatura. Niſi igitur renati fuerimus aqua & Spiritu, non poſſumus ingredi regnum cælorum. Partes hujus ſpiritualis regenerationis duæ ſunt, carnis ſcilicet & peccati mortificatio, & nova vita, ſive ſpiritus noſtri renovatio. Mortificatur caro in nobis per mortis Chriſti beneficium: per reſurrectionem autem ejus nova vita donatur, ſive ſpiritus in nobis renovatur. Horum beneficiorum gratia per baptiſmum in nos confertur, quo peccatum in nobis aboletur, & de peccato convertimur in juſtitiam. Uti in Chriſto vera mors facta eſt, ſic in nobis fit vera remiſſio peccatorum: uti in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio. Sunt enim Sacramenta non nudæ rerum promiſſiones, ſed ſimul media atq; organa be-

neficiorum conferendorum, quæ verbum institutionis pollicetur, & gratiarum verè ac efficaciter in nos effusarum testimonia atq; signacula. Christus principaliter per ea gratiam in nobis efficit, instramentaliter signa, quibus uti voluit Christus in hac gratiarum efficientia. Fides vero in Sacramentorum usu medium est necessarium à parte nostra, ad recipiendam non efficiendam gratiam. Per fidem utiq; servamur, sed non nisi aqua & Spiritu in baptismo renati, per eum fontem transitur à terrenis ad cælestia. Quid enim aliud est Ecclesia militans in terris, quam cœtus in unum nomen baptizatorum amplectens Evangelium ejusq; adhærens ministerio. Quemadmodum Sacramenta veteris testamenti fuerunt promissiones rerum implendarum in Christo, ita nostra sũt rerum in Christo impletarũ. Nã antiquiores justi & ipse Moyses, minister veteris testaméti, hæres novi, ex fide, qua nos vivimus, vixerunt & justificati sunt, Christi incarnationem, passionem, mortem, & resurre-

ctionem credentes futuram, nos jam factam. Non alia fides est, quam una: quicquid præter illam fidem est, perfidia est, non fides, & qui vult scire, quid tenendum sit, legat sacras literas. Perfecta ratio est, hoc tenere, quod in illis ad credendum nobis proponitur, & ubiq;, semper, atq; ab omnibus creditum est. Quod patres verbum habuerunt, & nos habemus, quod illi crediderunt, & nos credimus, quod illi speraverunt, & nos speramus, quo illi pervenerunt, & nos per DEI gratiam perventuros confidimo. Cum autem venerit, quod perfectum est, cessabit usus Sacramentorum, & sine velamine dabitur conspicienda facie ad faciem gloria Dei. Verborum solennitas & sacri invocatio Nominis, & signa Apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, palam & ea voce pronuntianda & peragenda, ut ab omnibus exaudiantur & intelligatur ad majorem devotionē, Dei laudationem, & benedictionem, visibile celebrat Sacramen-

tum : rem vero ipsam Spiritus Sanctus formatque efficit. Nam ille solus sanctificat, & Christus solus peccata nostra lavat ac delet, ejus mortis & resurrectionis baptismus est applicatio, futuræ gratiæ & resurrectionis ad novam vitam pignus, virtutum vita, criminum mors, nativitas immortalis, cælestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium. Abluimur Sacramento baptismi, invocato nomine Domini, á peccatis nostris, & baptizati accipimus in hac peregrinatione pignus hæreditatis cælestis, ut qui fuimus aliquando filii iræ & tenebræ in novitate mentis nostræ reformati & Spiritu Sancto donati recedamus â semita malorum & mendacii; non amplius filii noctis & tenebrarum, quarum residua adhuc trahimus in corpore per peccatum mortuo, sed lucis ac diei, malitia parvuli, sensibus perfecti, & in Deo sperantes perseveremus, donec transeat nox mater iniquitatis, & adspiret dies salutis,

in

in quo umbræ removebuntur. Noé cum suis in arca ab aquis sublata servatus est, sic & nos per baptismum servamur per fidem in Christum, qui resurrexit à mortuis, & purgatione peccatorum nostrorum facta sedet ad dexteram Majestatis DEI in excelsis deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficiamur. Quoniam Christus semel mortuus est, ideo etiam semel omnes Christiani baptizamur, nec ex qualicunq; causa baptismus est iterandus. Fides enim nostra sicut unum Deum veneratur in essentia, trinum in personis, & unam sanctam matrem Ecclesiam credit, ita unum tantum suscipit baptismum, & tanta vis est in Sacramento simplici baptismatis, ut, cum fateamur aliquem baptizatum, & adhuc malè viventem debere mundari, negemus tamen ulterius baptizandum. Hoc sacro baptismatis fonte tincti illuminamur, illuminati adoptamur in filios, adoptati perficimur, perfecti immortales reddi-

reddimur. Fides in verbo promissionis, quod est annexum elemento aquæ, accipit gratiam Patris adoptare nos in Filij sui corpus insitos per baptismum dignantis, meritum Filij à peccatis nostris nos mundantis, & efficaciam Spiritus Sancti regenerantis, ungentis, & obsignantis nos servos peccati infeliciter genitos ex Adamo, & filios Sathanæ suo Spiritu ad omne genus flagitiorum impellentis, in filios Dei, ut, quemadmodum Christus cum Patre Deo natura, ita nos cum Christo unum simus adoptione. Quotquot enim Christum receperunt, credentes in nomine ejus, dedit illis DEus potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguine, sed ex DEO nati sunt. Christus ipse humilitatis magister, qui venit ministrare, non ministrari, à Johanne præcursore suo baptizari voluit, ut in se non modo Johannis baptismum sanctum esse doceret, sed consecraret etiam baptismum, quo utitur Ecclesia, non se in aquis sed aquas in se sanctificando, ut per eas san-

sanctificaret nos, ostenderetq; se baptismum nobiscum communem suscepisse, & illum efficacem esse. Quod ideo à Christo factum, ut Sacramenta illa, quæ Ecclesiæ reliquit, usurpando in sese, eadem authentica redderet. Sicut nullus est cujuslibet ætatis vel sexus à baptismo prohibendus, ita nullus est, qui non moriatur peccato, & jus adoptionis etiam infantibus commune esse, testis est circumcisio figurato præsente sublata, & Deus ipse testis est, cum inquit: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Inc piunt parvuli noviter geniti esse de ovibus Christi per bapt smum, & dimittitur regeneratione spirituali, postquam renuntiarunt patri diabolo, haurientibus ex hoc fonte salutis gratiam pro gratia, & cælestem ac spiritualem benedictionem, quod traxerunt ex Adami generatione carnali. Nam parvulis fides denegari non potest, utcunq; humana intelligentia non capiat, quæ sit ratio,

ratio, quis modus fidei illorum, cum Christus jubeat nos accipere regnum DEI, sicut infantes accipiunt. Regnum autem DEi sola fide accipitur. Senes baptizati, uti & parvuli, renascuntur anima non corpore, voluntate non ætate, Dei Spiritu, non ex matris utero. Non solum originale peccatum, sed etiam actualia originali addita ab hominibus animi judicio & ratione jam utentibus expurgat sive tollit baptismus tam præterita, quam quæ posterius humana infirmitate contrahuntur. Baptizamur enim in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ut omne genus peccati, cum ad salutare venimus lavacrum, à nobis auferatur, & per incarnationem, mortem, ac resurrectionem Domini & Salvatoris nostri à peccato liberati carnem & concupiscentias ejus crucifigamus, diabolo ac ejus operibus resistamus, & nova creatura simus in Christo, Deo servientes per eum, qui nos liberavit. Non tamen materia ipsa, sed reatus tan-

tantum peccati in nobis per bapt smũ tollitur. Incurvati sumus, & non possumus nisi deorsum adspicere, nec facere ad quod facti sumus, fumo peccatorum obfuscati. Propterea, si peccata præsertim graviora & enormia à nobis malè agendo committuntur, possunt & debent illa à nobis sanari pœnitendo, ut quotidiana & levia oratione Dominica. Quanquam ad graviora quoq; peccata expianda, per solius tamen Christi sanguinis beneficium, aditum nobis præbet oratio. His tribus enim modis remittuntur peccata in Ecclesia, baptismate, pœnitentia, ac oratione, quæ sunt quasi viæ ac instrumenta quibus tribuitur quadam communicatione, quod est alterius proprium, nempè Christi sanguinis, qui gravium & levium peccatorum expiatio est, & causa remittendorum, & unica clavis paradisi. Pretio sanguinis Christi non semel redimimur à peccatis nostris, sed quoties cum digna pœnitentia redimus, in gratiam recipi-

cipimur, illud contemnentes, quod debent, nunquam reddere possunt, & ideo justè damnantur. Per ablutionem autem baptismi in melius mutamur, non ut concupiscentia careamus, quod in hac vita fieri non potest, sed ut ei non obediamus, quod in bona vita fieri potest, si verè effectus baptismatis participes facti sumus. Universus reatus Sacramento baptismi est solutus, nec deinceps nobis languor ille & infirmitas, unde illicita desideria commoventur, obessent, quamvis inessent, si desideriis ejus illicitis nullis unquam obedientiam præberemus. Qui hoc signillum baptismi Christi susceperunt, studeant nullum alium hospitem, templum facti Spiritus Sancti, in cordis sui hospitium admittere, nullo alio indumento tegi, nullo alio signo signari. Baptizati enim in Christo Christum induimus, ejus sigillo signamur, liberi a morte æterna, sicut illi, qui in Ægypto sanguine agni, superliminaria domus & utrumq; postem

ſtem tinxerunt, ab angelo percutiente ſervati ſunt. Sigillo hoc per peccatum deperdito, gemendum, & pœnitentia à nobis agenda eſt, ut iterum ſignemur, & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum reformemur. Chriſtus ſua vita dedit nobis exemplum & normam vivendi, cujus omnis actio noſtra debet eſſe inſtructio, ut ſicut ille germaniſſimus DEi Filius & perfectiſſima imago cæleſtis Patris, quem totum refert ac repræſentat, pro nobis mortuus eſt, ita & nos, qui adoptione non natura filii ſumus, moriamur peccatis, & lapſi in illo, cum illo, & per illum ſpiritualiter ad meliorem Deoq; placentem vitam reſurgamus. Sepulti enim ſumus una cum Chriſto per baptiſmum in mortem, ut, quemadmodum Chriſtus reſurrexit ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

De

De Cæna Domini

CAPUT IX.

OLim, dormiente Adamo in paradiso, non absq; mysterio ex latere ejus sumpta est Eva mater omnium nostrum. Dormiente Christo secúdo Adamo in cruce, ex latere ejus profluxerunt mysteria, quibus nata est & confirmatur Ecclesia. Nam aqua baptismum, sanguis sacram synaxin indigetavit. In aqua populus intelligitur credentium: Sacra Synaxis pane & vino peragitur. In granis tritici, unde farina efficitur, ut panis fiat, adunatio totius Ecclesiæ designatur, quæ igne Spiritus Sancti in unum corpus decoquitur, ut suo capiti membra compaginentur. In vino sanguis Dominicæ passionis ostenditur. Utriusq; mysterij baptismi & cænæ Domini eadem ratio est. Invocatio divini nominis Patris, Filij & Spiritus Sancti respondet gratiarum actioni in Eucha-

chariſtia à Domino uſurpatæ & imperatæ, effuſio aquæ diſtributioni panis & vini, & receptio aquæ participationi ejusdem panis & vini. Baptiſmus eſt quaſi prima Janua Chriſtianiſmi, cæna Domini ejus alimentum & provectio. Ideo veteres Chriſtiani baptiſmum Sacramentum ſalutis, cœnam Domini Sacramentum vitæ dixerunt, quoniam per illud divina gratia dat vitam æternam, in hoc virtus inest ad vivificationem. Quæ poſtea humana diſpoſitio hiſce addidit, pro legitimis à nobis non agnoſcuntur, ſed baptiſmus & cæna Domini ſola cæleſtia Sacramenta à Chriſto inſtituta & nobis relicta creduntur, ſufficientiſſima ad omnem animæ noſtræ morbum repellendum, & quibus id ipſum, quod verbo ſpondet, efficaciter obſignatur, ne de ipſius benigna erga nos voluntate unquam dubitemus. Sunt illa nobis tanquam viſibilia ſigna gratiæ data ad ſublevandum fidei noſtræ infirmitatem, ut ſtatua-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0169
DFG

tuamus peccata nostra per Christi mortem sublata esse. Eucharistia baptismus, & verbum sunt luciferi nostri, ad quos respicimus tanquam ad certos indices Solis gratiæ. Ubi enim illi sunt, ibi quoq; Christus, remissio peccatorum, & vita æterna est, ubi illi non sunt, vel contemnuntur ab hominibus, fædi errores sequuntur. Christus Dominus noster ad declarandum toti mũdo charitatem suam cænam paravit magnam, in qua non agnum typicum, sed sanctissimum suum corpus & sanguinem manducandum ac bibendum nobis proposuit in sui memoriam & commemorationem suæ charitatis, mortis scilicet suæ & passionis pro salute nostra, & quotidiana nostræ fragilitatis reparatione, lætificans omnes fideles convivio sacro, & calice salutari inebrians, in quo sunt omnes delitiæ paradisi. Est enim Sacra cæna actio à Christo immediate instituta, qua sumenti distribuitur panis & corpus Christi, vinum & sanguis Christi,

Christi, promissione gratiæ annexa, quod cuilibet Christus & beneficia ejus applicentur. Ex qua ipsa ordonatione eluceſcit, cænam Domini, ut & baptiſmum, eſſe quidem externas actiones, ſed promisſiones de Chriſto ita affixas ac copulatas habentes, ut quaſi in ipſos oculos incurrant, & exinde veſtitæ promisſiones non incommode nominari queant. Conſtat cæna Domini ex pane elementali, & corpore Chriſti, ex vino elementali, & ſanguine Chriſti. Inquit enim Chriſtus: accipite & comedite, hoc eſt corpo meum, quod pro vobis datur, bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remisſionem peccatorum, hoc facite in mei commemorationem. Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem, in me manet & ego in illo, & qui manducat me, ipſe vivet propter me. Verba illa plena dulcedinis & dilectionis Spiritus & vita ſunt, in ſilentio audienda, & cum omni humilitate atque affectu

affectu suscipienda, non humano judicio pesanda. Habent enim spiritualem efficaciam sublimiorem, quam homines naturaliter possideant, & non est dubium, quin ea, quæ locutus est Christus, fiant, arcano licet modo & rationi incomprehensibili, quem tamen Christus ipse benè novit. Sensus quidem nostri nihil aliud deprehendunt, quam panem & vinum, sed fides intelligit, illa esse corporis ac sanguinis Christi Sacramentum. Quod nobis non dat corporis proprietas, hoc dat verborum Christi veritas, qui & voluntatem suam declaravit circa hoc mysterium perspicuis cænæ verbis, & cui facultas tanta est, ut, quæ vult præstare, queat, vocans ea, quæ non sunt, ut sint. Ne quidem quomodo oculus videat, quomodo auris audiat, quid sit anima, quæ in nobis sunt, & quibus quotidiè utimur in omnibus actionibus nostris, multo minus illa ratione assequi possumus, quæ supra

omnes

omnes sensus in solo verbo sunt. Ubi verbum est, ibi necessario fides requiritur ad præstandum supplementum sensuum defectui. Habemus verbum, ei simplicissimè inhærendum, & non curiosè disputandum, ne excidamus à simplicitate, quæ est in Christo Jesu & ambulemus in vanitate mentis nostræ. Præsentiam credimus, licet præsentiæ modum ignoremus, non rimantes potentiam, sed mirantes benevolentiã. Quod non capimus, quod non videmus, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Plus enim Deus valet operari, quam nos intelligere possumus. Sathanas acerrimus Verbi Dei hostis novit in obedientia verbi positam esse salutem nostram. Idcirco quibuscunq; modis nos à verbo abducere tentat ad falsum sensum. Sic Evam in paradiso adortus est, & credulam sibi devicit. Lapsus enim facillimus est, ubi ad id, quod cupiditas suadet, prætextus verbi & voluntatis

tatis Dei accedit, Sathanas adhuc novaculam in manu habet, qua gulam homini præcidat, quando DEum laudat, & verbum disputat. Christianorum vero est, cavere sibi ab illo, non disputare verbum, sed credere in Christum, & credere Christo de Sacramentis suis. Si Christo simplici corde pareamus, hæc obedientia gratior illi est cunctis victimis. Nam per victimas alienam carnem, per obedientiam propriam nostram voluntatem mactamus. Non ergo uti vulgarem panem & vulgare poculum panem hunc & vinum sumimus, sed quemadmodum Jesus Christus Servaror noster carnem & sanguinem habuit pro salute nostra, sic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit carnes & sanguinem nostrum, illius incarnati Jesus carnem & sanguinem esse credimus. Quod videm9 species est panis & vini: quod vero sub illa specie credimus verum

est

est corpus & verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Instituit enim Christus in ultima cæna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus, & in illius sumptione colere nos memoriam sui præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat, & licet figura panis & vini hic sit, nihil tamen aliud, quam carnem & sanguinem suum à nobis credi voluit. Calix benedictionis communicatio sanguinis Christi est: panis participatio corporis Christi, qui divinitate sua semper adest, cui caro & anima ejus inseparabiliter conjunguntur. Sumitur corpus Christi ad comedendum, sanguis Christi ad bibendum, memoria passionis Dominicæ recolitur, mēs impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus nobis datur. Quia Christus dixit, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, & caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, verbis ejus defraudari non possumus. Fal-

litur, qui sibi nimium credit, non fallitur, qui Christo credit. Quapropter nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis fidei ac intellectus id perspiciamus, licet sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur. Si incorporei essemus, dona quoq; incorporea nobis tradidisset Christus: quoniam vero corpori conjuncta est anima nostra, Sacramenta, quibus in Dei gratiam reducimur, sub sensibilibus rebus instituta nobis intelligenda traduntur, ut superbiam nostram & rationem frænantes, iisq; collum submittentes veniam ac gratiam consequamur. Sic in baptismo per aquam, quæ res visibilis est, donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur regeneratio scilicet & renovatio intelligibile quiddam est, DEo nobis non sentientibus neq; videntibus aquæ vim regenerandi & renovandi nos admiscente. Eodem modo in cœna hac divina & mystica vescimur corpore Christi, & bibimus sanguinem ejus in

remis

remissionem peccatorum, & postulationem reconciliationis ac protectionis æternæ, dum panis & vinum consecratur ipso tribuente potentiam, ut participes fieri possimus, & vivifica hæc alimonia corruptibilem naturam nostram ad immortalitatis vigorem perducente. Nam qui edit carnem Christi, & bibit sanguinem, habet vitam æternam, & Christus eum resuscitabit extremo judicii die. Verbum ex DEO Patre existens & corpus ex virgine assumptum non idem remanent natura (non enim est consubstantiale corpus verbo) sed unum concursu & congressu incomprehensibili. Et, quoniam vivifica facta caro Salvatoris, utpote quæ secundum naturam verbo est unita, cum illam gustaverimus, tunc vitam habemus in nobis, ei uniti, quemadmodum ipsa verbo inhabitanti. Licet igitur mors, quæ per prævaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat, tamen quia Christus

est in nobis per suam carnem, omnino ad vitam resurgemus. Incredibile enim est, imo impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. Quemadmodum enim quis scintillam accipiens in cinere multo sepelit, ut semen ignis servetur, sic & Dominus noster Jesus Christus per carnem suam vitam in nobis abscondit, & veluti quoddam semen immortalitatis influit, totam, quæ in nobis est, corruptionem aboens. Christi Spiritu, qui est vinculum dilectionis in communi hac mensa, copulamur cum reliquis membris Ecclesiæ, ut omnes, qui vescimur de uno pane & calice bibimus. simus unum corpus, agglutinati Christo, qui est caput perficiens omnia in omnibus Non suffecit ipsi hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi, nisi & nos in unam massam secum reduceret, & non fide solum, sed re ipsa nos corpus suum efficeret, proprio corpore acsanguine pascendo nos oves suas, & se ipsum profectibus nostris. Hæc duo enim

enim panis & vinum visibilia sanctificata per Spiritum Sanctum in Sacramentum divini corporis & sanguinis Christi transeunt, & nos accipientes virtutem hujus cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transimus, & unius summæ divinitatis participes efficimur. Non tamen ille in nos, sicut cibus corporis nostri, sed nos mutamur in illum, & corpora nostra Eucharistiam percipientia jam non sunt corruptibilia, sed perpetua, & spem vivam resurrectionis habentia. Incomprehensibile hoc beneficium est, verum incomprehensibili misericordia DEI dignum, incomprehensibilia hominibus beneficia largiri, quæ si à ratione caperentur, nullo modo incomprehensibilia & ineffabilia dicenda essent. Nunquam Christus oblivisci poterit illorum, quos non solum suo corpore ac sanguine redemit, sed etiam suo corpore ac sanguine aluit, hoc pignore nobis dato, satis tutò de æterna vita gloriamur. Datur enim nobis in hoc Sacramento

cælestis cibus, non alius sanè quam Christus ipse, panis vivus, qui de cælo descendit, & vitam dat mundo, ex qua vivunt omnes, qui diligunt ipsum. O admirabilis & abscondita gratiâ Sacramenti! quam norunt tantum fideles, infideles & peccatis servientes experiri non possunt. Est quidem in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro & sanguis, sed essentia non salubris efficacia. Sumunt, boni, sumunt mali, sed sorte inæquali vitæ vel interitus: paris sumptionis tam dispar est exitus. Accipiunt impij Sacramentum, non rem Sacramenti, per quam intelligitur salutaris ejus fructus. Nos vero confitentes vilitatem nostram, & debito honore venerantes hoc tantum Sacramentum festinemus ad mensam hanc accedere, quoties anima nostra peccatorum æstu exagitatur, ubi Christus sub utraq; specie se nobis communicat, & proprio corpore nos alens sibi conjungit ac conglutinat, ubi spiritualis confer-

tur

tur gratia, reparatur in anima virtus amissa, & immortalitatis accipitur alimonia. Christi enim caro & sanguis verè cibus ac potus, præstans animis nostris, quod panis & vinum corporibus præstare solent ad id, ut verè vivant, ad veram & æternam cibatos ac potatos transferunt vitam. Sicut esu & potu corporea nutritur substantia, & vivit, & incolumis persistit, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur, & quasi Christo incorporatur, subjectis obsequiis, voluntatibus junctis, & affectibus unitis. Quod est esca carni, hoc animæ est fides, quod cibus corpori, hoc verbum spiritui, excellentiore virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta corporalia temporaliter & finaliter. Hæ sunt sanctæ delitiæ nostræ, quas Christus respiciens paupertatem nostram nobis donavit in solatium ac oblivionem miseriarum nostrarum. Qui Christi carnem non edunt, & sanguinem non bibunt, neq; vitam in se habent, neq;

partem cum Christo. Christus ipse vocat, Christus jubet fieri, Christus supplet, quicquid miseris peccatoribus deest, ut manducando ipsum & bibendo sanguinem ejus vivamus de ipso, vivamq; per ipsum, perveniamq; ad ipsum, & levati super altitudinem terræ vera pace quiescamus in ipso. Nemo nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati, incensi, ac ferventes omnes accedamus cum timore ac tremore ad Dei gloriam, mortis Dominicæ recordationem, æternamq; nostram salutem. Tenebrosi & frigidi ad sacram Euchatistiam accedentes, gratiam non postulantes neq; misericordiam implorantes, Jejuni ac aridi ab ea recedunt Cænam Domini ad alios usus transferentes, quam ad quos instituta est, in idololatriam incidunt. Propterea antequam accedamus, probemus nos, ne indigni inveniamur, & nihilo vegetiores discedamus, quam venerimus, aut etiam pro vita mortem reportemus. Veniat nobis in men-

tem

tem quo ſimus honore à Chriſto honorati, qua menſa fruamur. Ea namq; re alimur, quam Angeli videntes tremunt & adorant, neq; absq; pavore propter fulgorem, qui inde reſilit, adſpicere poſſunt. Et nos pleni fide, tanquam leones, à menſa Domini recedentes, ipſis diabolis formidabiles ſumus. Terrentur enim diaboli adverſarij noſtri, cum Chriſtiana labia cruore Chriſti rubentia vident. Si nobis contra inimicos noſtros dolor eſt, ſolvenda ira, inimicitiæ laxandæ ſunt, ut de menſa remedium percipiamus. Nam & Chriſtus pro nobis mortuus in cruce effuſum ſanguinem ad ſalutem eorum, qui effuderunt, larga pietate conceſſit, ut & nos iram noſtram conſervis pro noſtra liberatione concederemus. Qui vero accipiunt myſterium unitatis & non ſervant vinculum pacis, non myſterium accipiunt pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe, & magnum ſibi acquirunt tormentum. In-

dignè enim manducantes panem hûc, & ex calice hoc bibentes gravantur, non sanantur, nec minus rei efficiuntur corporis ac sanguinis Christi, quam judas proditor, & judæi, qui crucifixerunt ipsum, sive quod non discernunt hunc cælestem cibum ab alio vulgari cibo, sive quod fide carent, quæ est instrumentum ac medium, per quod caro Christi vivificat. Nam absq; vera fide & conscientia seria peccatorum confessione mundata ad divinam hanc cænam & tremenda mysteria non est accedendum, & post Sacramenti perceptionem laudandus Dominus, qui nos redemit sanguine suo, ac in bono proposito vitæ emendationis constanter perseverandum. Quorum vero fides est languida, & vita multa imperfectione laborat, à sacra cæna abstinere non debent, multo minus ab ea arceri. Est enim à Christo instituta ægris potissimum ac infirmis, ut per eam in fide confirmentur ac cor-

corroborentur, & vivifico hoc Sacramento corroborati vitam æternam consequantur.

De Spiritu Sancto

CAPUT X.

Jungitur nostræ confessioni ad perficiendum fidem, quæ nobis de DEO est, Spiritus Sanctus verus DEus, & essentialis flamma, amor, & lætitia procedens ab Æterno Patre & Filio, coæternus & consubstantialis utriq;, vivificator, agitator, & sanctificator noster. Progreditur Spiritus Sanctus à Patre & Filio, & illo procedente in principio temporis mundus & homo creantur, essentia, vita, & intellectus pro capacitate cujusq; omnibus creaturis communicantur. Sicut Spiritus Sanctus in æterna unitate vivit cum Patre & Filio, Patris omnipotentis prolisq; beatissimæ mutuus substantialis amor & sancta communicatio, ita ille rursus amabili quadam harmo-

nia

nia, quæ signum est ejus præsentiæ, contemperat, gubernat, & conservat omnia, quæ creata sunt. Colligit & congregat una cum cæteris personis Trinitatis mirabiliter Ecclesiam in terris, inungens & obsignans in filios Dei, atq; in communionem sanctorum perducens, quos Christus, depenso se in pretium, in peculium sibi comparavit, ex illo aditum securum ad Patrem cælestem habentes, & se filios Dei ac cælestium bonorum participes atq; hæredes pernoscentes. Est enim ille non solum Spiritus renascentiæ & renovationis, sed etiam pignus & certitudo nostra de bonis cælestibus à nobis possidendis. Egreditur à Patre missus per Filium, ut sit altera persona missa renovans nos ad imaginem Christi, regreditur ad Filium & ad Patrem, ut nos cum DEO copulet, & gemitu inenarrabili pro nobis intercedens pectus æterni Dei ad misericordiam stimulet. Sic autem procedit ab utroq;, ne sit minor potestate, vel discretus qua-

qualitate. Quanti illi, tantus iſte, quales illi, talis iſte, ex quo illi, ex tunc iſte, quantum illi, tantum iſte. Spiritus Sanctus, qua DEUS, à ſe ipſo mittitur & donatur, Dei donum & promiſſum Patris appellatur, in quantum datur eis, quibus datur, apud ſe Deus Patri & Filio æqualis, etſi nemini datur. Veritas nihil incerti habet, & nihil approbat, quod non perfectum ſit. In mundo autem propter peccatum omnia ſunt imperfecta, & falſum pro vero diligitur: veritas vero odium parit. Ideo miſſus eſt Spiritus Sanctus in mundum, ut ipſe doceret nos veritatem, quam mundus non agnovit, nos ſcilicet in nomine Domini noſtri JEſu CHriſti habere remiſſionem omnium peccatorum noſtrotum. Chriſtus Dei Filius miſſus eſt ad genus humanum liberandum, Spiritꝰ Sanctꝰ ad illud ſanctificandũ, & benignisſimꝰ Pater cæleſtis toti mundo beneficiũ paſſionis Filii ſui per ipſius miſſionẽ offerri voluit, Nã Spir. Sanctꝰ à quo omnes in veri-

veritatem deducimur, ab initio gratiæ suæ munere docuit sanctos & electos viam salutis, & ora Prophetarum aperuit, ut enarrarent mirabilia regni Dei, accendens eos cognitione veri Messiæ ac rerum futurarum scientia. Spiritu Sancto illuminatus Esaias prædixit virginem parituram, & Christum nascendum de fœmina, qua generali cognitione contenti fuerunt patres, et jamsi modum nativitatis nescirent novo testamento reservatum. Efficax fuit Spiritus Sanctus in conceptione Christi admirando, ineffabili, & Angelis ipsis incognito modo facta, prorsusq; alieno à communi hominum nativitate, uti generatio ejusdem æterna ex Patre omnino quoq; est inexplicabilis. Satis hoc nobis scire, quod natus, & id virtute & obumbratione Spiritus Sancti perfectum esse: non autem licet discutere, quemadmodum natus sit. Id enim omnis creatura ignorat. Unus idemq; Spiritus DEI, qui in Prophetis primum præconavit, quis

quis & qualis esset futurus adventus Christi, visibiliter in Apostolus effus9, ut per eos prædicaertur Evangelium omni creaturæ, in linguis igneis annuntiavit, venisse plenitudinem temporum, & proximasse regnum cælorum, & inter homines inhabitare Immanuelem. Quæ consonantia Prophetarum & Apostolorum magnam certitudinem veritatis religionis Christianæ in cordibus nostris gignit. Quò accedit, quod innumerabiles martyrum myriades in primitiva Ecclesia Spiritus Sancti instinctu animati, & divino ejus auxilio adjuti, pro Christi nomine & gloria non igne aduri, non bestiis objici, non in frustra secari, non quodvis genus supplicij subire, ut sanguine suo eam testatam facerent & assererent, horruerunt. Nonnullis eorum nihil desiderabilius fuit, quam pro illo mori, qui pro se dignatus est crucifigi. Et nos Domino adhærentes, & illius virturi non nostræ infirmitati confidentes pro veritate ipsius testan-

testanda sanguinem nostrum effundere, si opus sit, & necessitas id suaserit, parati esse debemus. Vult enim Christus, ut aliqua patiamur pro ipso, sicut & ipse passus est pro nobis, et si non illius, nostram tamen quamcunq; crucem patienter feramus. Aquæ in baptismo mysticæ adventu Spiritus Sancti consecrantur, & in quandam divinam & ineffabilem virtutem transelementantur, homines regenerantur, & regenerati in filios DEI adoptantur. Panis dominicus, quo Salvatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri, & sacer calix per invocationem & adventum Spiritus Sancti sanctificantur, homines vivificantur, & Spirituales Deoq; placentes motus in cordibus eorum excitantur, & in ea inspirantur. Sanctificationis enim fons Spiritus Sanctus, ex quo sanctificatur omne quod sanctum est, in illis opus suum habet, qui se ad meliora convertunt, & per vias JEsu Christi incedunt, & in iis permanent.

Omne

Omne Cor, quod ejus gratia tangitur, & manſuetudinis lenitate tranquillum, & zelo juſtitiæ fit fervidum. Adeſt Spiritus Sanctus Clavibus regni cælorum in Eccleſia, remiſſionem peccatorum in nomine Chriſti pœnitentibus, impœnitentibus iram DEI æternamq; damnationem denuntians, donec reſipiſcant, & gratiam expetant. Erigit pavidas mentes, easque ſuſtentat firma ac ſolida cõſolatione, fide, confeſſione, patientia, perſeverantia ac ſpe æternorum honorum, inhabitando. Solus ille unicum afflictorum ſolatium, gaudium & exultatio credentium animarum, exinde Paracletus dictus, accendit in iis ignem amoris ſui, & diſtribuit miſeris ac indignis hominibus opulenta dona & munera divinæ gratiæ. Quanquam DEI Spiritus eſt unus, varios tamen effectus & illuminationes profert ac operatur, dividens propria unicuique prout vult, ad humani generis utilitatem. Ipſa lux rationis omnib9 communis,

mis, quatenus homines sunt & DEI imago, est irradiatio illustratioq; facta in nobis ab æterna Dei luce & Spiritu ut & omnia dona Dei, licet regenerationem non habeant conjunctam, ab ipso veniunt. Tametsi natura humana per lapsum vehementer corrupta, & ad Spirituale bonum penitus emortua est: tamen in externis retinuit discrimen honestorum & turpium, & notitias illas bonas, è quibus præcepta morum & leges hujusmodi extructæ sunt, quarum vinculo homines in officio contineri possint. Condidit enim DEUS naturam talem, & post lapsum hoc quoq; servavit in natura, ut voluntas posset regere locomotivam. Illud imperium manet, & homo non renatus facit Justitiam carnis secundum naturam naturalibus viribus, quantælecunq; sunt. Tam immensa Dei bonitas est, ut non deseratmalas etiam creaturas, quæ se ab eo averterunt sed eas fovet & sustentat viSpiritus sui, qui, si manum suam subduceret,

ceret, statim deficerent & collaberentur, melius judicans de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere. Multo magis illa illuminatio, quæ est cognitio veritatis Dei efficax & vera, non hypocritica, & specialior, & maxima illius æternæ lucis & Christi communicatio cum dono regenerationis semper conjuncta, ab eodem Dei Spiritu in nos confertur. Ut autem in civilibus & rationi subjectis intelligit homo commoditates corporales, mentis tamen cæcitas & prava concupiscentia sæpè illum abripiunt, ut verum videre non possit, & quam in partem inclinare debeat, nesciat, in humanis quoq; periculosè errans. Nam pravum cor hominis, & omnes cogitationes ejus, & nemo adeo prudens est, quin sæpius erret. Tres nobilissimæ professiones, quæ in benè constitutis rebuspublicis in magno honore habentur, ex Adami lapsu profectæ sunt, nec infirmitatibus suis vacant. Ut morbos medicina habet insana-

sanabiles, ita & jurisprudentia causas, quæ non dissolvi, & Theologia experitur vitia hominum, quæ non possunt corrigi. Nihil tam indubitatum est inter homines, quod non possit, licet sit justissimum, sollicitam suscipere dubitationem, & nullæ tam perfectæ regulæ, quæ non ab hominibus, atque adeo à fallibili ingenio profectæ sunt. Hinc fieri videmus, quod alterius canones plerumq; alterius consulta damnant, & quæ magno labore inventa sunt, ab aliis destruuntur. Nam omnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem habet annexam, & omnis speculatio nostra quadam caligine non caret, nihilq; omnium est, quod possit in primordio sui perfici. Quantamcunq; rem vix ad perfectum adducit assidua vigilia & intentio, & multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. In divinis nisi homo à Spiritu Sancto, sine quo impossibile est placere Deo, illuminetur & sanctificetur, talpa cæcior est & im-

impius, etiamsi omnibus liberalibus artibus & scientiis instructus, & omnibus gentilium virtutibus sit ornatus. Nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, vel Christi, & regni ipsius, quæ spiritualiter dijudicantur, sed ea tantum, quæ sunt hominum. Domesticum hostem semper & ubiq; portamus nobiscum videlicet proprium corpus, quod aggravat animam, de primit intellectum, ac mille modis ingerit impedimenta spiritualis profectus. Spiritus vero Sanctus, qui scrutatur profunda Dei, est plenitudo donorum Dei, & ea, quæ divinitus administrantur, non absq; eo consistunt, quia omnes utilitates, quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte dimanant. Non solú hominibus à se sejunctis præsto est, sed singulis quoq; Angelis, principatibus, thronis, dominationibus habitator assistit. Facilè in magnam devenimus dementiam, si à Spiritu Sancto non doceamur & regamur. Perturbato enim intellectus nostri oculo & sensu obfuscato

à terrenis cupiditatibus voluntatem Domini cognoscere non possumus, neque ea, quæ ad salutem nobis sunt necessaria. Spiritu Sancto docti & firmati Deo placemus, & adversus omnes minas atq; illecebras perstare possumus, ipso obsignante gratiam Dei in cordibus nostris, ut perseverare valeamus usq; ad finem, & sua virtute per fidem custodiente nos ad salutem. Quamdiu Spiritus Sanctus, omnium viventium singulare decus & morientium unica salus, sua gratia & suis donis in homine manet, tamdiu homo manet unitus Deo. Quamprimum homo excidit à fide & charitate, & Spiritum Sanctum exuit, separatur à Deo, & tollitur beatissima illa unio. Dat DEus Spiritum Sanctum perenniter se per verbum & Sacramenta non tantum adultis, sed etiam pueris ac infantibus. Nam & in iis habitare Spiritum Sanctum, mirabiles motus excitare, vere orare, atq; fructum esse, vel sola Johannis baptistæ histo-

ria

ria in utero matris ad Domini adventum exilientis declarat. Cohabitat ille parvulis, humilibus & pacificis, non tumidis, superbis & pacis oforibus, non arrogantibus & sapientibus secularibus, sive secundum seculum prudentibus, qui magis eligunt magni esse, quam humiles. Verè enim magnus est, qui magnam habet charitatem; Verè magnus est, qui in se ipso parvus est, & pro nihilo ducit omne culmen honoris. Verè prudens, qui omnia terrena arbitratur sicut stercora, ut Christum lucrifaciat. Verè benè doctus, qui patiens in omnibus Dei voluntatem facit, suam relinquit, & cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur aut æstimantur. Quam mirabile hoc est? quam immensa DEI misericordia? quam immensus amor? quod Deus hunc amoris ignem in nos transfundit coessentialem sibi, nosq; templa & Sacraria efficit Spiritus Sancti in nos inhabitantis, qui propulsato timore servili non veretur in cordibus

dibus nostris assiduè clamate Abba Pater, perhibens testimonium Spiritui nostro, quod Filii & hæredes Dei, cohæredes Christi simus, & DEUS nos summo complectatur amore. Per Spiritum Sanctum, qui est dilectio quæ ex Deo est, & Deus est, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, & tota Trinitas in nobis inhabitat dona sua communicando. Acquisivit enim nobis Christus Paracletum & per eum adest diligentibus se. Quandocunq; Spiritus Sanctus est in homine, est ibi per verbum, id est Filium, & ubi Spiritus Sanctus est, ibi Christus est, ubi Christus, ibi vita sancta. Diligit enim Deus suos in Filio suo, & Filius est in eis per spiritum suum, ut ipsi Deum redament. Sicut Spiritus Sanctus in Christo divinam & humanam naturam mirabili obumbratione conjunxit, ita quoq; homines per charitatem, sua in eos dona effundens, Deo, & Deum hominibus conjungit, & per Spiritum Sanctum Pater & Filius mansionem

apud

apud illos faciunt. Et, sicut corporis nostri membra per animam conjunguntur, ita vera corporis mystici membra per Spiritum Sanctum dilectionis vinculo uniuntur. Ut igitur unus est Deus sic tres personæ sunt divinitatis. Unus æternus Pater Domini nostri Jesu Christi, unus Filius imago æterni Patris, unus Spiritus Sanctus, non tres sed unus Deus, una substantia sive natura, una sapientia, una dominatio, una omnipotentia, una gloria. Tres autem personæ, quarum unaquæq; semper obtinet, quod proprium est, ita, ut nec Pater sit Filius aut Spiritus Sanctus, nec Filius sit Pater aut Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus sit Pater aut Filius. In his tribus personis adoramus eandem Majestatem, & in simplici essentia agnoscimus triplicem personarum proprietatem, Pater est fons omnium beneficiorum. Filius proprie est Mediator & reconciliator, facta assumpta humana natura pro nobis victima. Spiri-

tus Sanctus mittitur in corda credentium, ut novam lucem, Justitiam, & vitam in iis operetur, Spiritus gratiæ, libertatis, obedientiæ, seriæ precationis & arrhabo hæreditatis nostræ testificans in nobis, nos esse in gratiam receptos, & cor movens ac impellens ad invocationem, quia propter Christum nos exaudiri amplius non dubitamus. Unus est DEUS tres habens personas, in homine una anima tres habens dignitates intellectum, voluntatem & memoriam, in quibus imaginem & similitudinem DEI mirabiliter gessit Adamus in paradiso constitutus, summa omnium animæ & corporis rectitudine donatus, & nullam legem sentiens in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Non est anima perfecta sine istis tribus, nec istorum trium unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat. Deus ubiq; totus est, omnia vivificans, movens ac gubernans, scit & vult in-

com-

commutabiliter. Sic anima est in suo corpore vivificans & gubernans illud in minimis corporis sui membris tota, & in maximis tota, scit & vult pro modulo suo, licet mutabilitet, & quod scit & vult, memoriæ commendat. Quia vero imago Dei, ad quam homo conditus, præcipuè consistebat in vera sanctitate, justitia & immortalitate, quæ omnia Adamus fraude Diaboli circumventus per peccatum perdidit, paradiso excluſus, nudus, egenus, & morti obnoxius factus, gloriamur tamen adhuc in Christo, per quem mirabiliter in Adamo conditi sumus, mirabiliusq; reformamur. Manifesta est enim Apostolica sententia, quæ interiorem nostrum hominem renovari imagine Dei declarat, secundum imaginem illius, qui creavit eum. Qui mente renovatus & spiritualis effectus conspiciens veritatem Spiritu Sancto demonstrante probat ipse, quæ sit voluntas DEI, quod bonum, beneplacitum, atq; perfectum, judicans omnia,

quæ judicanda sunt: Ipse autem à nemine judicatur. Judicat & approbat, quod rectè, improbat, quod perperam invenerit, factor legis non judex. Judicat de doctrina bona an mala sit, & de omnibus, in quibus potestatem corrigendi habet. Anima nostra peccatrix facta imago Dei esse non desinit, sed ad similitudinem Dei, nisi sancta fuerit, non pervenit, quia illa creatur per naturam, hæc datur conformari per gratiam. O felix & beata anima! in cujus intellectu, quo novit eum, Jesus moratur, in cujus voluntate solus diligendus collocatur, & ab ejus amore procedit amor, quo cuncta alia amamus, quo cuncta alia quærimus, in cujus memoria, in qua invenit eum, cum recordatur eum, recolitur. Infelix verò anima, quæ Deum non flagrans & sibi non constans erga plurima & vana divisa est, ita ut varia desideret, plura concupiscat, circa mundi hujus externa bona semper occupata. Absq; Jesu esse gravis est infernus, & esse cum Jesu dulcis est para-

disus. Nam solus Deus æternus & immensus, implens omnia, & intimo cordi nostro, si cor nostrum nó erret ab eo, solatium animæ est, & vera cordis lætitia. Terrena animam nó satiant, etiamsi dignitate polleant, sed naturali instinctu ad Deum fertur, in cujus fruitione solam suam beatitudinem & totam habet sitam. Pascitur luctu suo, & eò amplius refectionis suæ pabulum recipit, gaudet, & delectatur, quo abundantius emanat per lachrimas vis doloris, & caro in nobis mortificatur. Magnam adhibemus diligentiam, ne aliquod ex membris nostris loco suo & naturali sede dimoveatur, aut etiam exiliat, quod ubi fit, non solum ingenti dolore afficimur, sed etiam iterum in suum locum illud reducere ac reponere festinamus. Quanto magis ne intellectus noster, & voluntas, & memoria à veritate aberrent, nobis elaborandum est. Intellectus quidem, ne errore aliquo teneatur, & sic veræ fidei adversetur. Tunc enim à vertebra exit intelle-

ctus, cum errore concutitur. Voluntas, cum odio digna amat, & diligenda odit. Memoria, cum vanitatibus dedita & intenta ea, quæ Dei sunt, oblivioni tradit aut tenuitur meminit, & perituras hujus seculi vanitates semper volvit ac revolvit. Ne id fiat, Spiritus Sancti auxilium assiduè à nobis implorandum est, ut ille nos in veritatem introducat & in ea contineat.

De Ecclesia.

CAPUT XI.

CRedimus sanctam Catholicam Ecclesiam, sed non in Ecclesiam, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei, neq; vim ac potestatem à se ipsa habet, sed à Deo, cui servit, & à quo custoditur, estque societas illa, quæ non tantum fideles ac pios, vivos, ac mortuos complectitur, verum etiam Angelos ipsos cælestes atq; beatos. Universa enim Ecclesia est in cælo & in terra,

terra, quarum illa cæleſtis & triumphans, hæc terreſtris & militans dicitur Eccleſia. Eccleſia militans eſt cætus docentium & diſcentium verbum Dei, & utentium Sacramentis, quos ſub Capite Chriſto in hac vita conjungit vel fides, vel certè fidei profeſſio. Dicitur ſancta propter Chriſtum ſanctificantem, propter verbum & Sacramenta, quæ ſancta ſunt, & inſtrumenta noſtræ juſtificationis, propter ſanctitatem, quæ per fidem imputatur, & quæ per novam obedientiam inchoatur, & quia ubicunq; eſt vera notitia & vera invocatio Dei, ibi ſunt aliqui ſancti & electi. Nominatur Catholica, quia eſt cætus ubiq; terrarum diſperſus, & quia membra ejus, ubicunq; ſunt, quantumvis locorum intervallis disjuncta in externa tamen profeſſione unam & eandem omnibus ætatibus ab initio usq; ad finem doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ vocem amplectuntur. Inſtituit enim Deus congreſſus publicos, ut emineat

& con-

& conſpiciatur Eccleſia omnibus temporibus, & ſemper Deus ſervaturus eſt aliquas congregationes ſeu cætus, qui mortem Domini annuntient, donec veniat, in quibus verbis dulcis conſolatio comprehenſa eſt, usq; ad adventum Filii Dei manſuram eſſe Eccleſiam, quanquam aliquando fieri poteſt, ut non modo non pleriq;, ſed ne ipſi quidem pii, ubi ſit Eccleſia, cognoſcant, quod jam olim accidit, cum Arrianorum hæreſis dominabatur. Habet hæc eadem varia Epitheta in ſacris literis, dicitur lilium, Sponſa Dei, regnum cælorum, domꝰ & templum Dei, regnum Sacerdotale, complementum ſive plenitudo corporis Chriſti, columna veritatis, arca Noë, virgo Caſta, fugiens & abhorrens carnis, mundi & Sathanæ amplexus, nihilominus prole fæcunda, ſpirituales nimirum filios progenerans, quam qui non habet matrem nec ille eſt habiturus Deum Patrem. Unus Pater omnibꝰ hominibus fuit Adamus, & una mater Eva, & ad id, quod Chriſtiani ſumus, unus Pater eſt Deus,

& una mater Ecclesia nequaquam sterilis, sed fæcunda filiorum gaudiorum de marito Domino. Mulier fortis est Ecclesia, quæ præ amore Sponsi prospera & adversa contemnit: fortitudo, decor, & pietas indumentum ejus, preces & lachrimæ arma. Fundata est in Christo, illi soli adhærens, nullo certo loco circumscripta, nec personis vel successioni earum alliganda, ex sola puritate doctrinæ dignoscenda. Non in nostris, sed in solius Christi Sponsi ejus verbis quærenda est Ecclesia. Deus enim in ea firmat omnia mandato suo, & cum incedimus mandato Dei obsecuti, & ejusdem promissione freti, Sathanas frustra luctatur. Sola stabilis veritas docet nos viam salutis, & verbi sui solatio erigit anxia corda nostra. Cum per creaturas mirabiles admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, ubi verè discimus stantes & audientes Dominum bonum & solum magistrum nostrum, & gaudio gaudetes propter vocem Sponsi. Beati, qui Dominum in se loquen-

tem audiunt: Salus tua ego sum, pax tua, & vita tua, omnibusq; abdicatis se Deo Creatori suo reddunt placidos ac fideles. Habet Ecclesia promissiones gratiæ non temporales, sed æternas, quibus semper tuti sumus, & simpliciter nituntur bonitate Dei, quod ille velit facere, ut baptismi & cænæ Domini, in quibus nobis proponit suam voluntatem, misericordiam & opera. Agit enim Deus ordinariè per media, & sicut per cibum & potum alit & conservat nos in hac vita, ita per Verbum & Sacramenta operatur in nobis vitam æternam, debito modo ad ipsius honorem & gloriam eis utentibus, ipsiq; gratias agentibus. Verbum & Sacramenta sunt quasi ubera matris Ecclesiæ, quibus filij ejus aluntur & grandescunt, obsignati & inuncti divina unctione Spiritus Sancti, liberi à maledicto & damnatione legis, à carcere diaboli & humanis traditionibus, quibus conscientiæ implicantur. Vivimus in verbo, & nutri-

trimur à verbo & Sacramentis velutì Embryones clausi in alvo lacte materno. Ritus & ceremoniæ humanæ non faciunt Ecclesiam, sicut nec cæteræ res externæ vel ornamenta, quæ ad splendorem in hoc mundo pertinent. Cæpit autem terrestris Ecclesia ab Adamo, postea visibiliter signo circumcisionis in Abrahamo sancita, & designata à Deo, & à cæteris hominum societatibus distincta, & adhuc visibilis, licet interdum abscondita, in terra peregrinatur, à Solis ortu usq; ad occasum, amplitudine sua totius mundi spatia comprehendens. Etsi vilis & contemptus mundo ejus cætus, & innumeros semper hostes habeat, portæ tamen inferi adversus eam non prævalebunt, quæ certè summa consolatio est omnium in ea viventium. Dominus enim pro illa magno zelo commovetur, cum ea affligitur, & cum ea descendit in Ægyptum. Ecclesia quasi currus Dei & vehiculum Spiritus Sancti regitur gubernaculo

Chri-

Christi, ne diversorum populorum metus dissensionesq; eam perturbent aut destruant. Quemadmodum Noëarca ab aquis jactata fuit, non obruta, Deo salutem illius protegente, ita Ecclesia quoq; nunquam ab hostibus obrui poterit, sed quo majores impetus illorum erunt, eo excelsior Ecclesia auxilio Dei suffulta semper eminebit. Oppugnari potest Ecclesia, non expugnari, jactari fluctibus, non demergi, quod idem piis omnibus contingit, modo se in Ecclesia & puro Dei cultu contineant. Qui enim sunt in Ecclesia, sunt in Dei custodia, & soli remissionem peccatorum, & Spiritum Dei consequuntur: qvi vero sunt extra Ecclesiam, illa Dei dona non habent. In nido Ecclesiæ tuti plumescimus, & alas Spei ac charitatis alimento sanæ fidei nutrimus, usq; dum hinc avolamus in regionem perpetuæ quietis, continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Permaneamus igitur in hac arca & nido, in

do, in quibus salus nostra deposita est, patens omnibus, qui illam non respuerint, & Dei vocem potius, quam carnis nostræ consilium audiamus. Et quamvis exterior rerum humanarum adspectus sæpè nos deterreat, & aliud suadeat, semper tamen cogitemus Deum præesse diluvio, & Ecclesiæ suæ nidum non incustoditum, ac indefensum relinquere. Si Deo pro nobis, quis contra nos? Sicut aurum bonum Ecclesia, cum vritur, detrimenta non sentit, hæreditas ejo diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est probata. Crebris enim persecutionibus & sanguine, Ecclesia, quæ sanguine cæpit, succrevit, martyriis coronata est. Acceperunt justi coronas, non dederunt, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona Justitiæ. Singulares quippe eorũ mortes fuere, nec alterio quispiam debitum fine suo persolvit Jehova vero ipse est salus, justitia, & corona nostra, qui unigenito Filio nó peperit, sed pro nobis omnibus

nibus tradidit illum, ut proprio sanguine acquireret Ecclesiam, per quem omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, consummata sunt. Propterea honorandi & colendi sunt à nobis martyres & sancti, qui transierunt hujus mortalitatis pelagus, eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur homines sancti Dei: solus autem Dominus, qui fecit cælum & terram, & omnia novit, spes nostra, salus, atq; redemptio, adorandus. Non parum multi inter ipsa Ecclesiæ mænia versantur, & regni hujus insigne præ se ferunt, qui conspirant cum adversario, regniq; hujus gloriam, quod in ipsis est, dedecorant, ac robur labefactant. Ex desertoribus enim Dei plerumq; fiunt proditores, & persecutores. Imitantur patrem suum diabolum, qui de cælo delapsus per peccatum acerrimus hostis Christi & Ecclesiæ factus est. Interdum qui sanctissimi esse volunt, Ecclesiæ pestes & persecutores sunt, & neq; ipsi Deo appropin-

pinquant, & aliis appropinquare volentibus resistunt. Magnam quoq; in aulicis & illustribus viris insolentiam & fastum videmus, superbiam & vindictam magnanimitatem & fortitudinem, terrenos amores & delitias sapientiam, divitias summam felicitatem reputantibus, & assentatores potius ac odio dignos, quam pios suo favore complectentibus. Non enim potest natura benè uti gloria & DEI donis, sed semper abutitur iis ad superbiam, & insurgit contra eum, à quo ea accepit. Deus autem humilia exaltat, & alta humiliat, humilibus dat gratiam & resistit superbis. Impiorum victimam abominatur, & hypocrytas damnat, qui amicè loqvuntur cum proximo suo, & malum gerunt in pectore, verbis Deum confitentes factis negantes, & superbiam ac contemptum Dei donis Dei, & constitutiones hominum præceptis divinis tanquam paleas tritico admiscentes. Hujus generis hominibus Ecclesia est hortus con-

concluſo, & ſons ſignatus, neq; pulchritudinem ſuam illis oſtendit, neq; beneficia confert. Nam Sathanæ potius, quam Deo adhærent, & numero non merito ad Eccleſiam pertinent. Ac tametſi ſunt in Eccleſia, non tamen ſunt de Eccleſia, nec viva ejus membra, ſed mortua. Qui vero Deum audiunt, & prælucente vera fide in Chriſtũ pietati, juſtitiæ, innocentiæ, cæterisq; tam primæ quam ſecundæ tabulæ virtutib9 ſtudent, fidemq; ſuam operibus dilectionis declarant, in uno DEO ſpem ſuam repoſitam habentes, vera & viva Eccleſiæ membra, & verus populus DEI ſunt. Sicut paſtor oves regit Chriſtus eos, quos per myſterium crucis ſalvat, errantes ad vitam reducens, ignorantes docens, peccantes corripiens, triſtes conſolans, deſperantes confortans, cadentes erigens, ſtantes tenens, venientes ſuſcipiens, dormientes cuſtodiens, & nil penitus deeſt ipſis. Cum premuntur in Eccleſia preſſi ad Deum clamant, clamantes ex-

exaudiuntur, exauditi DEum glorificant, & currunt post Christum pastorem suum, in odorem unguentorum & virtutum ipsius, quarum odore totum mundum replevit. Fuit enim tota vita Christi flos redolens, unguentum pretiosissimum, ineffabilis virtutis odor, vera sanctitas, & salus nostra ducens omnes currentes viam mandatorum ipsius in vitam æternam: suo vitio perituris odor mortis ad mortem. Cum occiduntur, pretiosa morte obeunt, & sanguis illorum replet cælum ac terram clamoribus, & Deus justus requirit & vindicat illum. Nemo potest illos eripere de manibus ipsius, quia Christus pro illis posuit animam suam. Ecclesia cælestis sive triumphans invisibilis in sanctis Angelis beata persistit in cælo, quod proprium est ipsorum domicilium, & suæ parti peregrinanti adhuc in terris ad Dei præscriptum opitulatur, nunc vinculo charitatis, & post hanc vitam consortio æternitatis ad colendum unum Deum inter se

se colligata. Sunt Angeli Substantiæ spirituales sortitæ naturam intelligentem, & quidem humana sublimiorem, quippe materiatæ compositionis expertem. Etiamsi vero ex materia & forma non constituantur (hoc enim modo corpus essent) tamen componuntur ex actu & potentia, quia ens sunt dependens, non independens. Concelebrant DEum hymnis suis, & nihil agunt, quod ipsi non sit gratum ac glorioſum, idonei faciem Dei videre, nec usquam ab ea deflectentes. Quanquam mutabilitas eis ineſt, grandi tamen amore Deo cohærentes, nunquam tenebrescunt & frigescunt, sed semper tanquam meridies lucent, & fervent ex ipso. Grandis quoq; eis cura est de nobis, & magnus effectus dilectionis eorum erga nos, idq; propter honorem inæstimabilis charitatis Dei, qui diligit nos. Diligunt enim Angeli, quos Deus diligit, & custodiunt, quos ipse custodit. Neque propterea ullum beatis Angelis à nobis cultum, qui

solius

solius Numinis est, deberi existimandum, dummodo ita vivamus, ne impuritate vitæ nosmet-ipsos illorum familiaritate defraudemus, & locum demus Sathanæ palatium, è quo per baptismum protrusus est, fortius occupandi. Sic enim agunt Angeli, ut à Deo præcipiuntur, ea administrant, quæ jubentur, & ea tantum sciunt, quæ scienda sunt de iis rebus, quæ ad electos & eorum salutem pertinent, itemq; ad Ecclesiæ statum, quantum Dominus illis revelat ad mandatorum suorum executionem, in extremo judicij die & cælesti messe per illos tanquam peritos messores triticum in horreum suum congregaturus, zizania in caminum ignis projecturus. Sicut magnus est Dominus noster, ita & innumerabilis est multitudo cælestis exercitus beatorum Spirituum. Nam millia millium Angelorum ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, qui omnes gaudent super pec-

peccatoribus pœnitentiam agentibus per quos ruinæ suæ scissuras restaurari expectant, & contristantur super justis pœnitentiam deserentibus, & ad infernum descendentibus. Christus paulum quiddam præ Angelis diminutus propter mortem, quam subiit, tanto major & præstantior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen accepit, coronatus honore & gloria, utriusq; Ecclesiæ caput est, & Ecclesia corpus ac plenitudo ejus. Datum est enim ei nomen supra omne nomen, etjam qua homo factus est, & potestas supra omne id, quod nominatur in hoc & futuro seculo, solo eo excepto qui ipsi subjecit omnia, ut adorent eum omnes Angeli, omnes gentes, tribus ac linguæ serviant ei, & in nomine ejus flectatur omne genu cælestium, terrestrium, ac infernorum. Angeli & omnes homines, sive sint Reges, principes, sive Episcopi & sacerdotes, clerici sive laici, quatenus Ecclesiæ sunt membra, grex & ovile Christi, filii, servi,

vi, ac amici DEI sunt intra Ecclesiam prædestinati regnare in æternum cum Deo, genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntient ejus, qui de tenebris illos vocavit in admirabile lumen suam. Reliqvus cætus sive societas hominum extra Ecclesiam viventiũ reprobata ac damnata cum rege ac patre suo diabolo. Extra enim Ecclesiam nõ est salus, non quod ipsa Ecclesia salutem conferat, sed quod omnes, qui salutem conseqvuntur, sunt ejꝰ membra, & ad unam hanc Ecclesiã Christianam & domum Dei pertinent. ô quater plus quam quater ô beatos, patronus quibꝰ est Deus! quos sibi excepit, propriamq; sortem quos voluit dici suam. Ecclesia, quæ in terris, adhuc cum ruga est. Constat enim hominibus peccatoribus, infirmis & plenam justitiam nondum consecutis, redempta sanguine Christi, ne illi imputetur. Confitetur Ecclesia vulnera sua, & curari cupit,

cupit, & Christus, qui est in dextera Dei, interpellat pro ea, ut curetur, sanat eam, ut sanetur, salvat ut salvetur. Christus Sponsus Ecclesiæ decoratus corona inæstimabili, & ornatus omni justitiæ & virtutis dono lætissima donorum suorum communicatione obruit peccata & calamitates omnes, quibus misera sponsa onerata est, lavans & emundans Ecclesiam sibi desponsatam lavacro aquæ in verbo vitæ, & corporis sui ac sanguinis alimento pascens atque corroborans. Tam magnam dotem Christus donavit Ecclesiæ Sponsæ sanguinem nimirum suum, adhuc fovens eam tanquam gallina pullos suos, & in ea miracula faciens, quæ licet non cernantur oculis, longè tamen majora sunt, quam si sanetur aliquis claudus. Si qui alij in Ecclesia miracula faciunt, non continuo eos debemus venerari pro sanctis. Fiunt enim quandoq; miracula etiam per malos. Cælestis, quæ in patria est,

est, rugam amplius non habet, neque peccatorum maculam. Nullus enim in ea malus est, nec quisquam post lapsum diaboli cecidit, aut casurus est. Propterea neq; Christus opus habuit pro Angelis mori, neq; bonis neq; malis, quod hi in æterna damnatione manent, illi non peccarunt. Quia tamen neq; boni Angeli, licet Spiritus sanctissimi, satis coram DEO puri sunt, Christi commendatione, eguisse videntur, propter ipsum malis prælati & specialiter electi, ut Christus quoq; sit eorum reconciliator. Complacuit enim DEo per Christum reconciliare omnia in ipsum, purificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terris. Ecclesia, quandiu militat in terra, politicæ quoq; potestati est subjecta, neq; clerus jure divino, quo omnis anima illi subditur, ab ea exemptus. Pertinet enim ad Reges, qui exinde nutritii & pastores populi dicuntur in sacris literis, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem

matrem suam Ecclesiam, idq; si non faciunt, DEO tenentur reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam accipiunt. Ne tamen potestatem justo majorem, & quæ toti Ecclesiæ competunt, sibi solis arrogent, vel ministerij partes ad se transferant, legum divinarum non interpretes, sed custodes, non Domini Ecclesiæ, sed nutritores, defensores, & ipsi quoq; filii ejus. Angeli cælestis curiæ cives stant ad nutum solius supremi Regis, quem debitis laudibus prosequuntur, & Christi comites ac ministri jussa ejus exequuntur, lætantes super his, qvi refugientes consortia dæmonum per exercitia virtutum angelicis festinant interesse consortiis. Idem regnum est, eadem civitas cælestium ac terrestrium, unum corpus constans ex membris diversis, sed eodem Spiritu vegetatis, nisi quod gravis est hic colluctatio cum carne, cum mundo, cum Sathana. Tametsi vero non est, quod contaminer felicitatem

Ange-

Angelorum, est tamen, quod ad consummationem felicitatis desideretur, nimirum, ut omnia Christi membra colligantur in unum, totumq; corpus purum & integrum suo capiti jungatur. Non dedignabuntur Angeli esse socii nostri in cælesti curia, qui jam hic fuerunt ministri nostri, si jungamus voces nostras vocibus eorum, & communem Dominum jugi oratione pro modulo nostro laudemus atque precemur.

De lege Mosaica.

CAPUT XII.

LEx & Evangelium Ecclesiæ in terris verisimæ notæ sunt, quibus ab omnibus aliis cætibus fictitios Deos & cultus sequentibus discernitur. Lex à DEO per Moysen data est populo Israelitico, politiæ & Ecclesiæ judaicæ formandæ & firmandæ causa, omnia illa decreta complectens, quæ divinitus proposita, & à Moyse consignata

venturum Messiam adumbrabant. Postquam vero Christus venit, omnia sunt impleta, finemq; suum consecuta. Et leges quidem forenses prorsus abrogatæ: lex vero moralis manet adhuc, ab Evangelio non sublata aut abolita, sed propter impletionem Christi accusare & damnare nos amplius nequit. Est autem lex moralis immota & æterna Dei sapientia & doctrina à Deo tradita præcipiens nobis hominibus, quæ facere, quæ omittere oporteat, & requirit integram atq; absolutam obedientiam, propositis præmiis perfectè implentibus, minis atque pœnis integram ac plenam obedientiam non præstantibus. Continet enim hæc lex regulam obedientiæ ac justitiæ, quam homines DEO debent tanquam Creatori, juxta primam conditionem hominis cordibus nostris insculptam, & præstare voluissent, nisi fuissent lapsi, & etiamnum Deus jure suo ab omnibus hominibus flagitat, neque vult legem suam unquam

quam pro derelicta haberi, per Evangelij doctrinam non destructam, sed stabilitam. Summum & maximum ejus mandatum est: diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. Secundum huic simile: diligas proximum tuum, sicut te ipsum. Utriusq; tabulæ opera exiguntur tam secundæ quam primæ, atqve hæc sine illis DEO non placent. Non tantum externa disciplina, sed etiam interior obedientia integra omniq; labe carens requiritur, quam nemo hominum præstare potest. Primo quidem homini possibile fuit servare ea, quæ Deus lege sua præcepit, qui sanus atq; inculpabilis factus est, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera prædit9. Nobis vero impossibile, qui non Dei, sed nostra culpa facti sumus non solvendo. Propter naturalem enim vitiositatem ex primo Adami peccato contractam & nobis innatam omnes transgressores legis facti sumus, & necessario pec-

camus, non ulla vi aut coacti, sed volentes & lubentes. Lex quamvis per se bona est, ac salutaris, atque sufficiens ad nos justificandos, tamen, quo minus possimus per eam justitiam consequi, in causa est nostra ipsorum fragilitas. Ostendit tantum nobis vitæ viam, sed in mortem ruentes à præcipitio nos non reducit. Postquam peccavimus aliud esse cæpimus, & illud, quod eramus, esse desiimus, ex hominibus serpentes, equi, muli, vulpeculæ facti. Etsi substantiæ nostræ bonitatem naturalem magna ex parte retinuimus, moralem tamen amisimus, quam Dominus à nobis requirit. In eo lex nos condemnat, quod mutati sumus. Lex enim est justa, & mortem infert non nisi injusto. Imago illa, qua ad imaginem & similitudinem DEI facti sumus, non condemnatur, sed coronatur. Solus Christus unicus & æternus generis humani, adeoq; totius mundi Servator in carne sua nostræ pari genere, non

re, non Adami vitio aut ullis maculis inquinata, legem implevit, atq; pro nostris sceleribus factus execratio debitam pœnam sustinuit, ut amplius accusare nos non possit. Christus geminæ gigas substantiæ sustinens maledictionem & iram DEI adversus peccatum, qvod nostrum erat, in se recepit, ut, quod suum erat, in nos transfunderet. Per Christum justi reputamur, ac si ipsi legi satisfaceremus, si verè in Christum credimus, à quo perfectio in carne fuit exhibita, ne amplius ad nos damnandos vigeat legis rigor. Moyses quidem omnes reos æternæ damnationis pronuntiat, qvi non servant omnia, quæ scripta sunt in libro legis, sub illa maledictionis sententia nobis fuisset pereundum aut lex implenda. Sed Christus totius legis perfectio, consummatio, & finis, propter quem venturum lex & Prophetæ dati sūt, pœnam, quam nos debebamus,

in se suscipiens pro totius mundi peccatis durissimum pertulit supplicium,& sanguine suo Chirographum in cælesti curia contra nos scriptum delevit. Clave vero mortis suæ paradisum culpa nostra occlusum dignissimè nobis reseravit,ut in illo,per illum,& cum illo æternum vivamus. Frustra ergo Sathanas nos accusat & peccata nostra,frustra Moyses condemnat. Christus enim ad dexteram Patris omnipotentis sedens, judex judicum tenens clavem abysi & irremeabilis orci claustra,Sacerdos noster & tutissimus advocatus interpellat & rogat pro nobis,ne pereamus. Tot linguis pro nobis intercedit,quot vulnera & cicatrices accepit. Sufficit hoc nobis, quod Christus DEUS & homo, cæli & terræ creator, atq; ipsa justitia pro nobis apud Patrem deprecatur & intercedit. Sufficit nobis ad meritum scire, quod non sufficiat meritum,sed necessarium esse,ut eum habeamus propitium, cui soli peccavimus. Quicquid ille nobis

bis non imputare decreverit, sic erit, quasi non fuerit. Perversus carnis affectus semper rebellis adversus spiritum legi DEI non subditur, siquidem ne quidem potest, donec prorsus in morte aboleatur, & resurgat nova & spiritualis creatura sive caro. Etiamsi pij donentur Spiritu Sancto, tamen caro eorum non mutatur in Spiritum, & imbecilliores sunt, quam ut queant operibus suis legi Dei satisfacere. Ideo Deus misit Filium suum in mundum, ut per illum justificatio legis in nobis impleretur. Cum autem in lege sine sanguinis effusione nulla fieret remissio, in novo testamento Messias & Salvator mundi suum effudit sanguinem pro vera & perfecta peccatorũ nostrorum remissione, obnoxius factus & se servum constituens legi, ut nos, qui legi obnoxij eramus, redimeret, & qvemadmodum per unius inobedientiam facti sumus injusti, sic per unius obedientiam constituerentur justi, quam ille non solum præstitit passivè feren-

ferendo passionem crucis & mortis, sed etiam activè legem perfectè implendo. Quia Christus noster est, nobis donatus à Patre cæleſti habemus in ipso veram & perfectam legis impletionem. Ad quid igitur prodest nobis lex? Ejus usus primus & præcipuus est, ut peccatorum nostrorum multitudinem & divinæ iræ magnitudinem ostendens contritionem in nobis excitet, & pædagogus noster ad Christum nos quasi manu ducat: deinde à malefactis abstergeat: & deniq; norma ac regula sit nobis, juxta quam vitam instituamus, eamq; agamus resipiscentia dignam & voluntati DEI conformem sancti anima & corpore, in omnibus Dei gloriam quærentes, & patienter manum ejus ferentes. Ad ædificationem nostri & proximi bona est lex, si quis ea legitimè utatur: quia finis ejus est charitas de corde puro, de conscientia bona, & fide non ficta, quam qui habet, in nulla re se ipsum quærit, sed Dei gloriam in omnibus fieri desideret. Nulli invider, quia nul-

lum privatum gaudium amat, omnia ad Deum, à quo totaliter procedunt, referens. Absq; lege in altissimis tenebris & cæcitate mentis ambulantes, nulla resistente ratione, vivimus secundum carnem. Per legem cognitione peccati facta, si divino non adjuvet Spiritus, secundum legem volentes vivere, vincimur, peccatoq; subditi servimus, id agente scientia mandati, ut cõcupiscentia in nobis evidentior fiat cumulo prævaricationis adjecto. Lex enim subintravit, ut in nobis, cognoscentibus ex lege, quid sit faciendum, & non facientibus, abundaret delictum. Agente vero Dei Spiritu & gratia in nobis, quamvis adhuc sit, quod nobis repugnet ex nobis, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen in Christum justi vivimus, justéque vivimus, in quantum non cedimus malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ. In qua vita si pia perseverantia proficiamus legis DEI & voluntatis non ignari, post

hanc vitam in reqvie spiritus, deinde in resurrectione nulla remanente repugnantia carnis, sancti & perfecti erimus, & in æternum Deo obsequentes. Legis enim doctrina viam nobis commonstrat, qua itur ad vitam perfectam, si cum ea conjungatur Evangelium gratiæ, oritur pax conscientiis nostris, & verus Dei amor incipit in nobis vivere in hoc seculo, perficiendo in futuro, ubi duo illa præcepta de diligendo Deo & proximo non in lectione, sed in ipsa vera & sempiterna dilectione tenebimus. Utile igitur non solum est, sed etiam necessarium legem in Ecclesia Christi semper urgeri, ut per eam ad agnitionem debiti nostri infiniti deducamur, & territi ac pudefacti coram Deo nos humiliemus, & renati ac justificati per fidem in Christum secundum eam novam vitam & obedientiam inchoemus ac exerceamus ad afferendum fructus, qui decent pœnitentiam. In lege tanquam speculo con-

contemplandæ operationes nostræ, ut bonas augeamus & ornemus: malas vero retractemus & corrigamus. Inchoanda enim hic est nova vita, si volumus perfecti esse in altera, & quia nemo hominum magnitudinem & multitudinem delictorum suorum intelligit, ad Dei misericordiam confugiendum, & petendum, etiam incognitos lapsus nobis condonari, & inprimis animo eximi pharisaicam superbiam simulatæ pietatis & sanctimoniæ persuasione mirificè se efferentem, ut sic à maximis animæ nostræ periculis liberi omnia nostra dicta, facta, cogitata Deo salutari nostro probare DEI ipsius auxilio possimus. In oculis Dei sæpè reperitur culpabile, quod hominum judicio creditur laudabile. Sumus enim revera omnes miseri peccatores, obnoxij & implicati multis passionibus, animalia ventris & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Cito labimur,

cito

cito vincimur, cito turbamur, cito dissolvimur, multò infirmiores, quam valemus cogitationibus nostris assequi, & sensibus comprehendere. Parvuli sumus & infirmi, sed vivit semper Pater noster, & idoneus est nobis tutor. Ipse est, qui genuit, & tuetur nos: ipse omnipotens, qui nobiscum est, & priusquam cum illo simus, non quod ipse nostra opera indigeat, aut nos tale bonum simus, quo ipse adjuvetur Dominus Deus noster, sed ut de ipso nobis benè sit, à quo nobis est, ut simus, quibus benè sit. Ejus bonitate creati sumus, justitia punimur, & clementia liberamur. Nemo eum amittit, nisi qui dimittit, & qui dimittit, nusquam it aut fugit nisi à placido ad iratum, & ubiq; invenit legem in pœna sua. Nam lex Dei veritas est, & Deus est veritas habitans in excelsis, & infatigabili lege spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Quicquid ab illo est, deserto illo, injustè amatur, & justè fit amarum, quod tamen,

men, quantum est ad illū, bonum est & suave. Bona nostra institutaejus, & dona ipsius: mala nostra delicta nostra, & judicia ipsi9. Respirem9 in illis suspirem9 in his, & nihil sic timeam9, sic vitu peremus, & fugiamus sicut peccata nostra & vitia, quæ magis displicere debent, qvam qvarumlibet rerum damna; Ea vero omni studio ac labore sectemur, quæ vitæ dant emendationis fervorem, & in Deo sperantes, qui solus bonus est, super omnia laudandus & benedicendus, illius voluntati nostram conformemus. Christus ipse non tantum gratuitam remissionem peccatorum per suum meritum docebat, sed etiam legis ministerio peccatoribus suos morbos ac mortem, quam erant meriti, ob oculos ponebat, eosq; ad vitæ innocentiam ac sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, revocabat. Nemo nostrum est, qui velit infructuosam habere vitem vel arborem, quæ tamen minus nobis fructum

fructum reddere tenentur, quam nos bonorum operum Deo, à quo conditi & redempti sumus, & cujus providentia assiduè gubernamur. Quod nos exigimus ab arboribus nostris, sciamus DEUM meliori jure à nobis exigere, quos de nihilo sua clementia creavit, suo sacro baptismi Sacramento mundavit, sua gratia roboravit, & quibus quicquid boni, quicquid virtutis inest, gratuitò præstitit. Propter Christum enim nobis donatum est, non solum, ut in illum credamus, sed etiam illi, qui pro nobis omnibus mortuus est, idque gratis, vivamus & serviamus, ac pro illo patiamur. Non mirum igitur, si à nobis Deus bonorum operum fructus exigat, quos haud inveniens vitem vel arborem infructuosam, vel malos vel nullos fructus proferentem præcipiat succidi. Veros autem fructus DEO reddimus, cum validam spem habentes in illo, qui sedet ad dexteram Patris cælestis, & interpellat eum pro nobis,

sanans

sanans languores nostros, & liberans nos à miserabilibus erroribus nostris dominamur affectibus carnis nostræ, & alta mente Dei leges noctesq; diesq; revolventes virtutes colimus & custodimus, vitia fugimus & extirpamus. Magna nobis necessitas indita est juste rectèq; vivendi, quia cuncta facimus ante oculos legislatoris nostri, & judicis cuncta cernentis. Sed, proh dolor! propter defectum justitiæ, qui in nobis est, & inveteratam peccandi consuetudinem obliquitas nostra divinæ rectitudini adæquari non potest, & nemo nostrum est, qui non fines, ultra citraq; quos nequit consistere rectum, excedat, & falsum pro vero apprehendat. Sunt enim virtutes & vitia concatenata, virtutes media vitiorum utrinq; reducta, vitia virtutum excessus & defectus, & facilis est à virtutibus ad vitia descensus. Non pronum tantum iter est à virtutibus ad vitia, sed præceps, & major labor vitiis resiste-

resistere, quam corporalibus laboribus insudare. Sub virtutum nomine & boni specie nobis obrepunt vitia, sed latronum more in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Facilius tamen ea non suscipere, quam suscepta deponere, ideoq; à nobis ea non tam expellenda sunt, quam repellenda. Virtq amor ordinatq, vitiũ amor inordinatus. Boni quoq; amor inordinatus aut nimius, aut nimis parvus, & pæna sibi sua est, & amor & animq inordinatus. Virtus rectorem ducemq; desiderat: Vitia etiam sine magistro addiscuntur. Sicut virtutes paulatim alias virtutes attrahunt, ut de incipiente fiat proficiens, de temperante continens, de continente cassus, ita è converso unum vitium vocat aliud, & qui minima negligit, ad majora tandem progrediendi audaciam sumit. Virtutis via ardua est ac difficilis, qua superata ipsa sibi pulcherrima merces ac præmium, & à lege nihil metuens mali.

mali hominem qvietum efficit, & cor ejus tranqvillum. Nihil enim tam facilè explere potest justorum mentes quam boni operis conscientia. Adeo gratiosa est virtus, ut insitum etiam sit malis probare meliora, & gaudere, si quid boni, metuere & omnia suspecta habere, si quid malefecerunt. Vitium sive peccatum blandissimum venenum, dum in opere est, non sentitur, blanditur, delectat. Opere consummato, si lex accedat, terret, mordet, & hominem ex conscientiæ reatu gravatum inquietum ac desperatum reddit. Is enim legis effectus est, ut in nobis operetur desperationem & finalem impœnitentiam. Nisi igitur tristitia spiritus territa lege Dei veram consolationem habeat, actum est de hominis salute. Extra Christum autem nulla datur, neq; in toto mundo invenitur. Eam ob causam Deus Adamū in paradiso per incredulitatem à verbo suo deviantem & gravissimè peccante lege

jam

jam oppressum magis opprimere noluit, sed potius salubri emplastro promissionis de Christo peccato ipsius medetur, addita comminatione boni ac mali eventuri, & acerrimi certaminis cum hoste diabolo depugnandi, impari licet fortuna. Hominis enim calcaneus est in periculo, caput est salvum & invictum. Per semen autem mulieris non cauda, non venter, sed ipsum caput serpentis contritum est & conculcatum. Illam immensam DEI misericordiam, quæ non provenit ex meritis nostris, sed ad qvam in humana natura suscepta tribuendam DEUS se verbo suo tantummodo obligavit, agnoscamus, & eò majori fiducia ad Christum accedamus redemptorem nostrum, ne à lege & inquinamentis spiritus & carnis nostræ oppressi stipendij loco mereamur mortem, & cum impiis in omnem æternitatem damnemur.

De

De Evangelio.

CAPUT XIII.

CUm ex nobismet ipsis & ex lege nullum esset nobis miseris mortalibus auxilium, nulla liberatio, nulla salus relicta, Christus novus Sol justitiæ, semper oriens à semper generante Patre, semel exortus visibilis orbi sempiternis damnato tenebris, tartaream peccatorum nostrorum caliginem dispulit, novaq; lampade prænitens diem candidum, vereq; almum, & exoptatissimum nobis revexit, noctem terrerrimam, cujus ipsi fueramus authores, profligans. Hac svavissima fama de Salvatore nostro per Johannem Baptistam insignem præconem Regis regnantium & Domini dominantium, cujo peculiare officium fuit docere populum Christum venisse in remissionem peccatorum, vulgata & nuncio propalato, vetus testamentum ut litera & ministerium mortis desiit,

desijt, & Evangelium ex sinu Patris a Christo prolatum est, quo patefactum nobis omne consilium Dei, & diffidentia ac formidine legis non nisi peccatum operantis sublata, pax est firmata in cordibus nostris, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus Deo in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ. Est hoc Evangelium potentia ad salutem omni credenti, Dei Patris, quo cum Christus natura & substantia unus est, verbum & doctrina, qua omnibus in Christum credentibus & pœnitentiam agentibus gratuita remissio peccatorum annuntiatur, & datur Spiritus Sanctus, inchoans in corde novam lucem, justitiam & vitam æternam. Finis legis Christus ad salutem omni credenti, & justitia legis est ipsa fides nostra. Non utiq; defectus, sed plenitudo legis in Christo est. Venit enim legem non solvere, sed implere, & novam certificare. Lex per Moysen data erat figura veræ legis, & veri-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0242
DFG

ritatis exemplar: Omnis vero veritas est in nova. In exemplari agni sanguis immolabatur, in veritate Christus immolatur. Lex Mosaica viribus nostris majora præcipiens demonstrabat peccata, non donabat: hæc nos ab iis absolvit conatu & bono proposito contenta. Illa præcipiebat opera: hæc requirit fidem. Illa vitam suis cultoribus promittebat, sed non præstabat: hæc vitam affert. Illa judæis lata simul erat politia: hæc omnibus gentibus manifestata est ministerium spiritus. Illa terret & occidit: hæc erigit conscientias, & tollit metum mortis. Illa imperfecta, ideo data ut gratia quæreretur: hæc completa, ideo data, ut lex impleretur. Implevit Christus legem veterem, & posuit nobis novam sacrosanctum suum Evangelium supra mel dulce, lucernam pedibus & lumen semitis nostris, ne lapidem offensionis incurramus. Vetustatem novitas, umbram fugavit veritas, noctem lux eliminavit. Per legem enim Evangelii

desiimus esse obnoxii legi Mosaicæ, crucifixi cum Christo & viventes in fide Filij Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Evangelium regnum DEI, qvod appropinquavit nobis, qui eramus servi peccati, atque adeo hæredes mortis æternæ, propter opes plane divinas ac cæleſtes, quas habet reconditas, verè thesaurus est inæstimabilis, & margarita omnium regum ac principum gazas infinitis parasangis post se relinquens. Dominatur & regnat Christus in nobis sceptro virtutis suæ sive verbo Evangelij, per quod convertit, illuminat vivificat, regenerat, & è regno Sathanæ ac tenebrarum nos in suum regnũ transfert. Agnoscit pro subditis suis, qvotqvot vera pænitentia ad ipsum à peccatis se convertunt. Privilegia regni non sunt temporalia aut mundana bona, sed spiritualia & æterna, sicut scriptum est: regnum Dei non est cibus ac potus, sed justitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Appellatur in hoc

in hoc seculo regnum gratiæ, in futuro erit regnum gloriæ, & finem non habebit. Panis est veritas Evangelica à Pastore Christo ovibus suis in spiritualem alimoniam relictus, dulcis & salubris omnibus, qui palatum animi à febri malarum cupiditatum non habent infectum. Pascimur per Evangelium à beneficentissimo illo Pastore divinis Sacramentis, & saluberrimo doctrinæ cælestis pabulo, limpidissimisq; verbi divini rivulis alimur & recreamur, & quandoq; aberrantes in viam reducimur. Per Evangelium remissio peccatorum, resurrectio mortuorum, & vitæ perennitas prædicantur, & imagine Dei in nobis per peccatum deformata ad meliorem reformamur, qua in spem vitæ æternæ renascimur per fidem, ut vivamus in Deo, cum Deo, & unum cum ipso simus. Venit enim Filius hominis quærere & salvare, quod perierat, & hæc est voluntas Dei, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam, & Christus

stus eum resuscitabit novissimo die, nec unquam veniet in judicium. Hæc manifestatio Christi est ipsa justitia. Nam per fidem prædicationis agnoscitur donum promissum, quo salvantur homines, sive adventus Filii Dei in carne, quem Deus ante mundum conditum decrevit reconciliatorem, ut, quoniam omnes peccavimus & egemus gloria Dei sive gratuita peccatorum remissione per ipsum reconciliemur ei, si modo credamus ipsi satisfieri per sanguinem Christi effusum pro peccato nostro. Christus ipse hoc suum Evangelium annuntiavit in terris, & miraculis confirmavit. Nam omnis generis morbos sanavit, leprosos mundavit, cæcis visum, claudis gressum dedit, obsessos à Dæmonibus liberavit, mortuos resuscitavit. Apostoli vero ex mandato ipsius quatuor rotis, quasi rationabiles equi concordiæ vinculis inter se constricti, Evangelii mysterium totius orbis theatro invexerunt, portantes Dei verbum ad-

rigam,

rigam, cujus flagello fugatæ sunt illecebræ seculares, exterminatus mundi princeps, & justorum cursus completus est. Regna hujus mundi opibus, satellitio, copiis & armis constant, fastu violentiaq; reguntur, crudelitate parantur & defenduntur. Apostoli inermes & imbelles expugnarunt mundum sola prædicatione verbi, & in media Apostolorũ infirmitate clarissimis indiciis se protulit Dei virtus, vt Evangelio suo orbem terrarum subigerent & subjugarent, & fides illis haberetur in mundo. Ad regni enim Dei, quod est Ecclesia Domini nostri Jesu Christi, hæreditatem non nisi verbo Evangelij vocamur, Sacramentorum præsidio adversus omnes Sathanæ insultus tuti, ac de æterna nostra felicitate securi sumus. Cum vero Deus in vetere testamento in sola judæa notus, & judæi primogeniti ratione fœderis in Dei familia essent, gentes à promissionibus alienæ, per Evangelium non minus atq; illi Deo appropinquaverunt. Christus

enim diruta maceria utrosq; reconciliavit Patri,& veniens annuntiavit pacem iis, qui propè erant & iis,qui procul,& promissionem salutis ad omnes extendit. Incolas & inquilinos, indigenas &peregrinos civitatis supernæ jure per fidem connexuit, ut omnes, qui credunt in ipsum tam gentiles quam Judæi sint Abrahami filii,qui pater est fidei,concives sanctorum, & domestici Dei. Est enim Evangelium completum, & redundat ad omnes in universum terrarum orbem fideles,& mentes omnium rigat, animumq; confirmat. Omnes scripti sumus hæredes in Jesu Christi testamento non pro proportione,sed pro universitate. Non potest dividi hæc hæreditas, cum fructus sit indivisus. Indivisum regnum Christi, indivisa quoq; ejus hæreditas. Scriptum est in cordibus nostris,ut semper meditemur ,& exultemus in eo ,cum christo ad vitam resurrecturi, veri hæredes ipsius, si voluntatem ejus impleamus,& cor nostrum inclinemus ad faciendum

ciendum justitias ejus. Lucet Evangelium prædicatum, alit meditatum, confortat recogitatum, lenit & inungit memoriæ mandatum. Aridus omnis animæ cibus, si non oleo Evangelij mixtus infundatur, insipidus, si non hoc sale condiatur. Vis promissionis Evangelicæ in eo consistit, ut ei assentiamur, & ut assentiri possimus, gratuita est. Per Evangelicam enim doctrinam propriè & proximè fidem Spiritus Sanctus operatur, nempe cum cognita Dei misericordia Christi merito & promissionibus nos facit assentiri, inq; iis solis confidere & acquiescere. Effigies Evangelj in illis est, qui percutienti maxillam alteram præbent, qui inimicos diligũt, qui mutuum dant cum desperatione recuperationis, & sine remuneratione mercedis, qui crucem suam tollunt, & eum sequuntur, qui pro nobis suam portavit, ut nos propter ipsum nostram portare non dubitaremus. Est enim Evangelium non solum verbum lucis & veritatis

sed etiam crucis & afflictionis, quæ pios sequuntur, ut umbra corpus, non tamen gradu dejiciunt, si modo mens nostra in Christo acquiescat, à quo spes vitæ & gloria pendet nostræ, & roboris fiducia. Crux mundi, ambitio honoris, divitiarum augmentum, gloriæ temporalis incrementum non satiat, cum esuritur, nec sufficit, cum habetur, non est secura, licet homo iis rebꝰ abúdet, nec sitim earũ extinguit. Crux christi, quæ est morbificatio carnis nostræ, & pugna adversus assiduè nos tentans peccatum, sedat animam, cor quietum reddit, sitim extingvit, &, dum cruciat, delectat. Probi enim christiani nullum recusant subire laborem pro christo, omne illis videtur exiguum & leve, quod faciunt & patiuntur: præter fidei doctrinam & verbum crucis morum quoq; magisterium, & speculum justæ conversationis. Ast quam pauci sunt, qui ad divinam hancamussim & cælestem Evangelij doctrinam vitam aut conformare aut emendare curant.

Avaritia non tam vitium, quam deplorata insania, sive stygium quoddam & subterraneum idolum, radix omnium malorum, stringit pauperem, strangulat divitem laqueis suis, & uterque in Gehennam conjicitur. Insatiabile enim malum cupiditas, cujus naturæ est, quantum addas, tanto magis incendi, & sicut, si igni addas oleum, magis succenditur, ita cupidi, avari, ac ambitiosi homines, quantum illis additur divitiarum, tanto vehementius alia majora concupiscunt: ast divina negligunt, atq; parvipendunt. Deum vero, qui possidet omnia, quæ creavit, & implet ea, quia implendo ea fecit ea, cui nihil perit nec moritur, sed omnia vivunt, & ad nutum ejus incunctanter ipsi deserviunt, expedita mente possidentem in eo habere, quæcunq; sanctè desiderat, & omnem nobis copiã, quæ Deus noster non est, egestatem esse, ne quidem illis in mẽtem venit. Sunt, qui diaboli impulsu in graviora qvoq; scelera ruant, de die in diem damnationis

vincula sibi nectentes. Multi non nisi humilia & abjecta in christo videre possunt, quibus offenduntur, & agno lupum, auro lutum præferentes nihil vilius Christo habent, quo mundus nihil pretiosius habuit, neq; habiturus est. Nonnulli admirantur ea, quæ audiunt ex Evangelio, non imitantur, neq; recedunt à pravis suis moribus, & ad Christum accedunt. Malunt enim secundum leges seculi vivere, & communem latam viam ambulare, quam antiquam peccandi consuetudinem deponere, & novâ ac spiritualem inchoare, carnis suæ appetitum sequi, quam Dei beneplacitum. Dubium tamen nullum est, quin & pij, & simplices, & boni homines sint, qui Evangelio credat, & quibus ad institutionem prosit. Spargendum igitur hoc semen, donec fructus successu temporis se proferat. Quod improbis ac sapientibus hujus mundi est scandalum, hoc nobis gradus & scala est, quæ nos sursum evehit ad cernendũ Dei gloriam. Spiritu sancto adjuvantur corda nostra, ut audito Evan-

gelio secredant in gratiam recipi, statuant verè placatam esse iram Dei, & agnita misericordia Deum invocent. Hic cultus invocationis solius Evangelij proprius est, prorsus ignotus omnibus id ignorantibus. Ethnici & gentiles sive pagani, qui vanos Deos adorant, dexteræ commenta humanæ, vel animas cælestes, vel ipsum diabolum, judæi, qui umbram & figuram Christi sequuntur, ipsum rejiciunt & excludunt, Mahometani, qui universæ vitæ conditorem invocant, Filium ejus & doctrinam aversantur, à Deo non exaudiuntur, quia non credunt in nomen unigeniti Filij Dei, neq; pace, quæ Christus perfundit pectora credentium, fruuntur, in sua obstinatione & malitia pereuntes. Sancti vero & timentes Deum nesciunt aliud desiderare, quam salutare Dei, quod est Jesus Christus, illum concupiscunt, illum desiderant, illum gremio mentis fovent, illi se aperiunt & effundunt, & hoc solum verentur, ne illum amittant.

Christus

Christus ortus ex virgine processit ex alvo universa totius orbis irradians, capiant, qui desiderant, perpetui fulgoris claritatem, quam nox nulla interpolat. Soli, quem quotidiè videmus, nox tenebrosa succedit: Sol justitiæ nunquam occidit, sed subinde invisibilis oriens in mentibus piorum qui habitaculum Domini sunt, omnes iniquas ac malevolas cogitationes subvertit. Non tristis est aut turbulentus Christi in animam ingressus, sed lætam & gaudentem, ubi hospitatur, reddit animam, & se reverenter suscipientibus magna largitur dona virtutis. Ipse est, qui militat in nobis, qui vincit in nobis, qui triumphat in nobis, & cognoscentes infirmitatem nostram provehit ad suam divinitatem. Quamdiu ille ab anima non recedit, avertendo vultum suum, securi sumus, & cor nostrum quietum requiescit in ipso. Si vero nos recedimus ab illo non pedibus & spaciis locorum, sed longè à vultu ejus eundo in affectu tenebroso, i-

so, ipse quoq; primus in accessu & ultimus in recessu à nobis recedit, & expavescimus strepitum foliorum arboris, & fugimus nemine persequente. Nobis vero fugientibus cor nostrum, mare magnum tumens fluctibus, non invenit locum aut fidam stationem, ubi aliquatenus requiescere valeat. Cor enim Deo non unitum in se ipso semper est divisum, donec illi serviat nolens, cui noluit servire volens. Non tamen Dominus nos deserit, si modo iterum pulsanti Januam animæ & cordis nostri haud segniter aperiamus, ut ingrediatur, quoniam pulsat ille sæpius nunc prospera donando, nunc adversa permittendo, ut ad ipsum confugiamus ac revertamur. Optimum hoc & saluberrimum consilium, cum fugere Deum non valeamus, ad eum confugere ac reverti, atq; fiduciam in ipsius misericordia habere. Nemo enim ad Dominum accedit pauper, quin

evadat dives sanctitate. Ex nobis mors nobis sumus, in ipso reviviscimus. Satis suaviter equitat, quem adspirantis Numinis aura secunda propellit. Nam Deus noster, qui fecit cælum & terram per verbum suum & conservat, nunquam amittitur, & solus nihil amittit, cui omnia chara sunt in illo. Vera confessio est via, per quam egredimur ab invio, & revertimur ad Deum, qui est vita animæ nostræ, per quam vivimus, & lumen oculorum nostrorum, per quod videmus, gaudium cordis & lætitia Spiritus nostri docens nos & salvãs nos, spes sanctorum, & turris fortitudinis eorum. Velle autem cõplacere hujus seculi hominibus, & illos amicos habere ac propitios, maxima servitus est. Qui Domino inhæret, intus benè dispositus atq; ordinatus, a bilia servitute liber est, & homines videt sicuti arbores. Non illecreaturarum servus est, non subditur honoribus, divitiis, uxori, liberis, nullis molestatur pertutbationibus, nullis

„agitatur

agitatur cupiditatibus, nullisq; conpungitur concupiscentiis, sed omnibus postpositis soli Deo placere studet, nec timet magnates seculi, nec despicit pusillos, nec curat mirabiles hominum mores atq; gestus. Satis est illi, quicquid Domino ministrante possederit, siquidem libertatem possidet, qua Dominꝰ nos liberavit, & Dominus annuit voluntati ejus, & deprecationem exaudit etiam in rebus maximis. Utinam omnes homines, Reges, magnates, divites, pauperes saperent ac intelligerent, nullam in hoc seculo posse reperiri requiem, nisi in humilitate Evangelica, & in imitatione Christi, ac in operatione virtutis, Dominumq; semper hospitem habere vigilantissimè procurarent.

De ministerio Verbi

CAPUT XIV.

Ministerium verbi, quod nihil aliud est, quam spiritualis quædam piscatura, iam inde ab initio mundi cæpit. Deus

Deus enim non solum ipse multis variisq; modis allocutus est pios, qui fuerunt, sed etiam expandit rete verbi sui ad capiendum homines & trahendum ex mari mortuo hujus mundi per Patriarchas primævi & originalis mundi ante & post diluvium. Deinceps per Prophetas & Sacerdotes lege ac certis cæremoniis à Moyse præscriptis instructos, ne excogitarent ipsi falsas religiones, sicut Ethnici fecerunt. In novo testamento Filius Dei factus homo post Johannem præcursorem suum, qui velut aurora solem, sic adventum Domini, ne insperatum homines non agnoscerent, præcessit, publicè docendi munus administravit, vocatus atq; initiatus & ipse à Patre suo cæsti Sacerdos magnus & princeps Sacerdotum in Melchisedeche præfiguratus, baptizatus á Johanne in Jordane, ubi Pater fert testimonium, eum suum esse dilectum Filium, per quem nos postremo compellare voluit, & audire ipsum præcipit. Spiritus Sanctus visibili

spe-

ſpecie in Chriſtum deſcendens eum inunxit, non ad menſuram, ut reliquos ſanctos, ſed fuſiſſimè, adeo ut de ejꝰ plenitudine omnes accipere oporteat gratiam pro gratia, quæ in Chriſto non creſcebat neqꝫ minuebatur, ſed in ipſa conceptione erat & conſiſtebat in illo. Quod ideo factum, ut eſſet beneficus mundo, & ſvavi bonitatis ſuæ guſtu homines alliceret ad ſe expetendum & amandum, uberrimiqꝫ illius favoris, quo præditus erat, participes factos Pater cæleſtis propter ipſum ſuo quoqꝫ amore, benevolentia, ac favore dignaretur. Fuit autem ille major & fortior omnibus, qvi ante ipſum ad docendum miſſi ſunt, non in potentia temporalis exercitus, ſed in fortitudine prodigiorum & virtutis ad expoliendum dæmonis tyrannidem, & deſtruendum mundi ac carnis potentiam, virtute non gladio, pace non armis humilitate non ſuperbia. Obedientia enim, non curribꝰ & equis, bellū ſuum geſſit, & parta victoria de hoſtibus triumphavit, ſeqꝫ promiſſum Meſſiam

ac Salvatorem mundi, Deum de Deo, & lumen de lumine cæleſti ſua doctrina & inaudita miraculorum operatione magnificentiſſimè comprobavit, ut utramq; naturam in ſe, quem homines verum hominem intuebantur, credendam oſtenderet humanam ſcilicet & divinam. Venit Chriſtus de cælo, ubi priusquam inde veniret, fuit, vidit, audivit, quæ nobis traderet, & ut traderet, ad nos deſcendit. Non ſolum lucernam nobis accendit, & ore ſuo prædicans ſcitiſſimis parabolis ob oculos poſuit vitam æternam, ſed etiam meritis benedictiſſimæ ſuæ paſſionis è poteſtate diaboli nos eripuit, de impiis pios fecit, de injuſtis juſtos, de peccatoribus liberos, & in ſuam tranſtulit charitatem peccatorum noſtrorum ſordibus ſuffocatis. Moyſes quidem fidelis fuit in tota domo Dei tanquam famulus: Chriſtus vero tanquam Filius in domo ſua, quæ domus nos ſumus, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſq; ad finem firmam retineamus. A

chriſto

Christo vocati sunt Apostoli à piscatura piscium ad piscaturam hominum, á telonio ad curam animarum, miraculorum donis ornati, & mandatum habentes non tantum in uno loco, sed ubiq; terrarum docendi Evangelium. Hoc mandatum ante ascensionem erat particulare ad certa judeæ loca alligatum, in ipsa ascensionis hora factum est universale jussis prædicare omni creaturæ, & omnium linguarum cognitione à christo instructis, ut homines convocarent ad consonantiam fidei in quavis lingua, & docerent, quæ credi, sperari aut fieri ab ipsis deberent. Nulla, autem dignitatis eminentia, nullus primatus inter Apostolos constituitur, multo minus inter successores eorum sed hoc solum tanquam peculiaris merces Apostolis promittitur, quod in resurrectione mortuorum judicaturi sunt duodecim tribus Israelis. Quibus ritibus hodiè Doctores & ministri Ecclesiarũ vocandi sunt, Christianæ libertati relictum est, ita tamen, ut facta legitimo

legitimo modo manuum impositione ad ministerium hoc publicum, arduum, atq; omnium laboriosissimum vocentur, & ex reliquo cætu ad hoc quasi segregentur illorum assensu atq; voto, penes quos jus vocationis residet, quæ etsi sit mediata vocatio, divina tamen est, & apud Deum rata, sine qua nemo se ingerat. Desiderare opus salutis proximorum & diligere prodesse, bonum est, concupiscere reditus & honores atq; diligere præesse, pernitiosum. Eligendi publico testimonio commendentur non generis nobilitatis, sed doctrinæ puritatis & gratiæ morum, & in ministerio quoq; constituti actuum operumq; suorum publicam existimationem testem habeant, ac exemplaria gregis cum presbiterii ordine conversationem sine offensa præstent, ut, qui videt ministrum altaris congruis ornatum moribus, Deum authorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales servulos habeat multiformis gratiæ ipsius dispensato-

satores. Qui propter vilitatem personæ vel familiæ contemnunt eorum dona, qui vel in Ecclesia docent, vel in politia rebus gerendis præsunt, sæpe ex casis exeuntes, in Deum, à quo dona illa descendunt, ingrati sunt ac impii. Non autem ideo Ecclesiæ præficiuntur, ut inani vocis sono aerem verberent, sed ut potenter per ipsorum vocem operetur Deus, eamq; Spiritus sui virtute ad salutem piorum vivificet. Non tamen alio labor illis imponitur, quam seminare verbum, & cum seminatum fuerit, Deo committere spiritualium fructuũ maturitatem. Is enim conversionem & consummationem nostram non commisit sanctis, aut in manibus cujuslibet hominis posuit, sed suæ reservavit misericordiæ, unicus salutis nostræ largitor, & sicut ex nobis, & à nobis est perditio nostra, ita quæsitio, & inventio, & in humeris reportatio à Deo est. Nec satis est utcunq; quod verum est, loqui, sed hoc inprimis exigitur, ut, qui quæ vera sunt loqvuntur, lo-

loquantur ea verè & confidenter, sermone perspicuo, firmo, & intrepido, non obscuro, vacillanti ac metiçuloso. Ut autem vera probent, quæ prædicant, conentur ea etiam gerere. Nam qui aliter prædicant, aliter faciunt, verbis suis ipsi se accusant & condemnant. Ex officio quoq; in aliis reprehendere tenentur, quicquid vitiosum est, nulla habita ratione vel personæ vel officii in auditoribus, ne tamen protinus damnent aut ad orcũ detrudant inauditum, aut litibus & dissidiis delectati incendia atq; vulnera publica alant & augeant. Præscripsit Dominus ipse hanc legem servis suis speculatoribus domus suæ, ut clament, & debita severitate cum errores in doctrina, tum vitia & peccata hominum in conversatione reprehendant. Docendi sunt errantes, sulciendi nutantes, promissis confirmandi laborãtes hortatu conantes erigendi, exemplis inflammandi, minis æternæ damnationis peccatores à malefactis deterrendi, affli-

afflicti & tentati consolandi, non lucri aut quæstus causa, sed propenso ac benevolo animo. Humilitas & mansvetudo propriæ & peculiares sanctorum virorum virtutes, & reliquarum omnium fundamenta ac custodes sunt, homines DEo quam simillimos reddentes. Patientia adversa, humilitate & mansvetudine nos ipsos vincimus. Quocirca inprimis ministris Ecclesiarum opera danda est, ne cum divina Majestas se exinaniverit, ipsi inflentur ac intumescant. Moyses quo humilior & mansuetior, eo dignior Propheta habitus fuit, à mansuetudine recedens graviter Deum offendit. Christianæ sapientiæ disciplina vis & efficacia non in abundantia sermonis, & sesquipedalibus verbis, aut in astutia disputandi, aut in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera ac voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris ad supplicium crucis elegit præ omni fortitudine, & Apostolis ac Discipulis suis imitandam reliquit,

liquit. Ut autem vere humiles ac mansueti sint, vilitatem suam præ se ferentes se omnium novissimos reputent ac ministros, atq; omnia fiant omnibus, qvod sine charitate & singulari proximi dilectione effici non potest Charitas enim sive sanctus amor humilitatis basi innitens æqualem in omnes benevolentiam partitur, & omnium ingenia, mores, defectus, aliaq; omnia onera benignè tolerat & suffert. Neq; solum ministros Ecclesiarum, sed etiam omnes Christianos decet, ut, quò majoribus donis à Deo sunt instructi & ornati, eò humilius & mansuetius se gerant, si volunt diligi ab omnibus, & non sapiant ultra, quam sapere oporteat, sed moderatè de se ipsis sentiant. Nam de se ipso parum aut nihil sentire, de aliis semper benè sentire, & infra terminos virtutis suæ consistere, magna sapientia est. Contentionibus de dignitate nihil sædius, nihil arrogantius, & nihil à sapientis ratione remotius esse debet. Ut excusandus, qvi ex justa causa debitum sibi honoris [lo-

cum humanè exposcit, ita non ferendo, qui alteri præripit. Singularitet velle laudari & amari, solius Dei est, qui simile sibi non habet. Homo vero quanto in se humilior & Deo subjectior, tanto in omnibus sapientior & pacatior, & qui se humiliat in hac vita, exaltabitur in altera. Propterea nihil excelsius humilitate existimandum est. Nam honor & abundantia humilitatis pedisequæ sunt, dedecus & damnum superbiæ, & abominationi Deo est omnis arrogans. O quam excelsus est Deus noster, & humiles corde sunt domus ipsius! Res hujus ministerii publici sunt certa, vera, & perspicua doctrina de lege & Evangelio, seu de Christo & ejus beneficiis, atq; legitima Sacramentorum administratio. Alia enim vox quá Christi ovibus ejus non est proponenda, & diversam à Christo doctrinam afferentes acriter damnandi, & ab ovili Domini depellendi. Christum cum Prophetis & Apostolis ministri Ecclesiarum, suo præconio ornare studeant, Christi vitam & doctrinam

proponant, ab eo petendam esse justitiam, quæ gratuita remissione peccatorum constat, assiduè testentur, & hanc gratiam, quæ exhibita demum in Christo fuit, esse eandem, quam lex & Prophetæ jam olim sperandam patribus tradiderunt. Ipse est DEUS noster, salutaris noster, susceptor noster, in quo princeps hujus mundi non invenit quicquam morte dignum, & per mortem ipsius evacuatum est chirographum, quod contrarium erat nobis. Dirupit vincula nostra benedictus Dominus in cælo & in terra, magnum & mirabile nomen ejus. Christus vera vitis sustentat nos sarmenta sua per baptismum sibi inserta, & corpore ac sanguine suo nutrit ad vitam æternam. Per verbum autem suum, quod est cæleste ac inenarrabile Dei donum, & prædicatur omni creaturæ, illuminat nos, & ad se vocat omnes laborantes aconeratos peccatis, ut ipse reficiat. Verbum Domini malleus conterens petras, & penetrabilior omni

mni gladio ancipiti, sermó purus atq; repurgato flammis sincerior auro, velut ignis omnes alias doctrinas examinat, & veras illas probat ac retinet, tanquam sibi consentaneas, vanas exurit ac consumit tanquam stipulas & fænum sibi suoq; fundamento non congruentes. Ejs doctrina & amor præcipuum in Ecclesia locum habere, & in mediis tentationibus à nobis retineri, defendi, ac omnibus aliis rebus præponi debet, ut unicum nostræ salutis fundamentum, non insciis, custodientes illud quam maneat numerosa merces. Erroris redargui ac convinci non possumus, si ex sacra scriptura sobriè, reverenter & modestè de rerum divinarum mysteriis loquamur, & ab ea præscriptos limites non transgrediamur. Qui vero fragilitatis suæ immemores facie Dei non præeunte in cælum conscendere nituntur, & relicto verbo suas cogitationes adorant & sequuntur, eorum omnium par lapsus ac ruina est, quæ fuit Evæ

à ver-

à verbo abductæ, & in peccatum Sathana instigante prolapsæ. Nam authoritas omnium docentium in Ecclesia dependet à verbo, eoq; inferior est, per verbum restricta, adeoq; ad illud alligata. Deus potenter & severè exequitur, qvod verbo suo prædixit, arcens ab aditu regni cælorum incredulos ac impios, sanctificans per illud illi fidem adhibentes & præcepta servantes, judicaturus in novissimo die illud habentes & contemnentes, audientes & non facientes, credentes & non servantes. Hæretici Christi fidem seqventes, sed dogmata ejus corrumpentes, schismatici propter circumstantias aliqvas fidei à cætu Ecclesiæ se separantes, occulti & quietito. lerandi & docendi, publicè in Dei Majestatem blasphemias evomentes & scandalum præbentes pro qualitate delictorum puniendi sunt. Licet enim nova & inaudita sit prædicatio, quæ verberibus fidem exigit, ad quam nemo cogi debet, externa tamen disciplina

plina conservanda est, & sicut lupus ab ovili, aper à vinea, ita ab Ecclesia Dei blasphemus & seditiosus hæreticus arcendus. Improbatio hæreticorum facit eminere, qvid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina, & oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Disputationes & alterationes de rebus fidei schismata, sectas, & hæreses ad majorem contentionem adducunt, & sæpè bellorum causæ sunt. Nam nihil ita facit ad dissidium inter homines, quam de Deo dissensio. Semper tamen melior discordia pietatis causa suscepta, quam errantium opinionum ac affectuum consensio, & res infelix est, inire fœdera cum iis, qvi non consentiunt nobiscum in religione. Ipsa vero amplificatrix veri vetustas & dies, ut omnium aliarum opinionum commenta, ita etiam hæreticorum falsa dogmata obliterat ac delet, diaboli fraude novis subinde repullulantibus. Qui minus omnia intelligunt, eorum ferenda imbecillitas, & qui intelligen-

tia præstant cæteris, par est, ut & studio erga cæteros excellant. Ad ministrorum Ecclesiæ ac Sacerdotum munus quoq; pertinet, non pro se tantum, sed pro omni populo orare, maximè in publicis conventibus, necessitatibus & rogationibus. Pascendus enim grex Christi mente, ore, & opere: Pascendus animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Duraturum hoc ministerium usq; ad finem mundi, quamvis ingens hominum contemptus & persecutio simul prædicantur in fine mundi grassatura esse, Christus sua promissione confirmat. Propterea qui Domino cæli & terræ fideliter volunt inservire, in hoc seculo, nihil ab eo expectent præter ipsum Dominum, & læsi non vindictam sed pœnitentiam, ut convertantur & vivant, à peccatoribus exigant, ad exemplum Domini sui, qui non addestruendum, sed ædificandum, ad salvandum, non perdendum animas venit. Falsa justitia dedignationem, ve-

ra

ra justitia compassionem & gaudium habet de peccatoribus se convertentibus. Probos vero Christianos alere, honore afficere, & defendere pios Doctores & ministros Ecclesiæ oportet, qui Apostolorum doctrinam custodiunt, vigilantes pro animabus nostris tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant non gementes. Altari enim servientes de altari vivere debent, &, qui spiritualia ministrant, digni sunt, ut illis temporalia subministrentur, & qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Dominus ipse sic ordinavit, ne, dum illi domesticis intenti sunt curis, minor illis cura sit de hominum salute. Et nos quicquid Ecclesiis ejusq; ministris spargimus & piis usibus consecramus, nobis colligimus, non amittimus. Sanctificari à nobis dicitur id, quod à profano seu communi usu separamus, & ad cultum DEI & res divinas deputamus. Ipsa vero beneficia Christi, gratiam Dei, & absolutionem à peccatis emere

vel vendere nulla ratione licet. Aliena enim ab avaritia Sacerdotum debet esse vita, & à Simoniaca labe pura, ne audiant cum Simone magno à beato Petro, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Deinde eos audire ut Angelos Dei legatione pro Christo fungentes, & veritatem ejus annuntiantes, quo viliores ad prudentiam seculare, eo pretiosiores ad fidem. Non enim illi sunt, qui loqvuntur, sed Spiritus Dei, qui loqvitur in illis, & qui illos audit, Christum audit, qui illos spernit, Christum spernit, cujus verbum & doctrinam afferunt. Si purè ac fideliter Evangelium annuntient, neq; ad populum afferentes doctrinæ suæ ostentationem, vel indulgentes pravis suis affectibus patiantur se à scopo abduci, non odium sed amorem, non vituperium sed laudem merentur, & nemo eos impunè contemnit. Sermo mitis & placid' benevolentiæ plenus ac gratiæ sine ulla ducatur contumelia; disceptatio sit sine ira: monitio

nitio sine asperitate: hortatio sine offensione. Nunquam sanctum ab illis detur canibus, neqve margaritæ projiciantur ante porcos. Diaconi circa verbum & Sacramenta non occupantur, sed circa externa quædam, quæ tamen curari, & decenter legitimeq; peragi oportet.

De potestate clavium.

CAPUT XV.

OFficium sacerdotum Spiritus Sancti munus est: jus autem Spiritus Sancti in solvendis ligandisq; criminibus est. Ideo à Christo Ecclesiæ quoq; traditæ sunt claves regni cælorum ligandi ac retinendi, seu solvendi peccata. Ligandi sunt peccatores publici & privati, & qvidem pertinaces, ita tamen, ut, postqvam prius privatim, deinde adhibitis duobus vel tribus testibus commonefacti fuerint, & nō audierint, Ecclesiæ, ad quam judicium pertinet, deferantur, atq; ita demum parte audita sententia palam

pronuntietur. Oportet enim manifestam ac publicam esse actionē, quam Ecclesia suscipit, & peccatores publicè peccantes, & populo scandalum præbentes coram omnibus arguendi sunt, ut cæteri timorem habeant. Peccatores nondum publico sermone infamati secretò monendi & curandi, & si à culpa surrexerint, qui corripuit & levavit à funere, non illos in publicum proferat, sed silentio prætereat salutem, quorum occulta mansit culpa. Quibuscunq; autem verbis sententia pronuntietur, nihil interest, dummodo non sint contra verbum Dei. Sententia pronuntiata illi separantur à cætu Ecclesiæ, & tanquam Ethnici serio vitandi ac fugiendi sunt, ut qvi sunt extra Ecclesiam in potestate Sathanæ, destinati æternæ iræ ac condemnationi Hanc ligationem DEVM ipsum exercere, ac coram ipso pondûs habere, hæc verba indicant: quæcunq; ligaveritis super terram, ligata erunt in cælis. Altera clavis consistit in solutione

tione ac remissione peccatorum, neq; est ad aliquam formulam alligata, modo mandatum ac promissio Christi ibi sonent. Solus enim Christus habet potestatem remittendi peccata, Apostoli & ministri Ecclesiarum habent eam ex mandato ipsi9. A Christo enim Apostolis cõcessa est, ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissa, à quibus, quæ aguntur in terra, in cælo rata habet Deus. Omnino remittunt peccata ministri Ecclesiarum, sed modus, quo id præstant, attendendus est, nempè Deus remittit peccata impertiendo sive faciendo ipsam gratiam rem sionis. Ministri autem remittunt, dum ex Evangelio secundum Dei voluntatem credentibus gratiam, qvam Deus impertit, annuntiant, & à peccato, ira Dei, ac æterna condemnatione solutos ac liberos pronuntiant. Propterea cum Deus non nisi credentibus remittat peccata, & Sacerdotes vel ex errore vel ex privato affectu credentibus

nolint remittere, incredulis remittant, nihilominus tamen illi verè coram Deo absolvuntur, isti non absolvuntur. Elucescit ex eo mira divinæ pietatis & indulgentiæ magnitudo, quod Deus summus ille orbis conditor & rerum omnium Dominus mittit ad nos legatos suos pro reconciliatione, & omnibus id petentibus ac desiderantibus gratuitam veniam atq; remissionem peccatorum offert, si modo vitæ mutationem in melius, qvam præ se ferunt, & toto corde optare profitentur, præstare conentur. Vera enim pœnitentia his duabus partibus absolvitur, emendatione mentis ac vitæ prioris, & apprehensione gratiæ. Nam & de admissis peccatis serio dolendum, & confugiendum ad Christum tanqvam thronum gratiæ, & agnum Dei tollentem peccata mundi. Applicat hæc clavis cuilibet in specie solutionem seu remissionem peccatorum secundum verba: quorum remiseritis peccata, remittuntur, estq; universalis, & gra-

& gratis contingit omnibus pœnitentiam agentibus. Qvemadmodum quotidiè peccamus, ita etiam quotidiana remissione peccatorum à DEO in gratiam recipimur. Itaq; hæc legatio assiduè resonare debet in Ecclesia usq; ad finem mundi. Neq; enim aliter Evangelium prædicari potest, quin promittatur remissio peccatorum, neque claves absq; Evangelio sibi qvispiam imaginetur, quæ nihil aliud sunt, quam gratuitæ reconciliationis testimonium, quod nobis ex Evangelio redditur. Sic demum nos in Dei gratiam ritè & ordinè restituunt Ecclesiarum ministri, cum legatione Christi fungentes per Evangelium nobis testes sunt de reconciliata Dei gratia, & ex Evangelio tanquam legitimis tabulis loqvuntur. Ad hanc enim summam tanquam præfixum scopum universa prædicatio & concio eorum dirigenda, ut resipiscant homines, & tanqvam oves errantes à peccatis conversi ad pastorē

animarum suarum effugiant iram, quæ ventura est super filios inobedientiæ. Zelo hic interdum ministris Ecclesiarum opus est, qui studeant incorruptam servare castitatem Ecclesiæ, ne aut negligentes, aut remissi sint. Sicut ligandi non sunt pœnitentes, ita neq; absolvendi impœnitentes. Melius est enim ut unius vel duorum damnatione plurimi liberentur, qvam illorum absolutione plurimi periclitentur. Pœnitentibus peccatoribus porta absolutionis aperiri, impœnitentibus claudi debet, & prædicari lex, doneç illius voce prostrati deformitatem suorum peccatorum agnoscant, seq; sanabiles præbeant. Qui peccantes verbis adulantibus palpant, peccati fomitem subministrant. Sacramentis, quæ ideò exhibitiva signa gratiæ, non tantum significativa definit Ecclesia DEI, Christi quoq; gratia nobis applicatur, & per ea conscientiis nostris reconciliatio cum Deo sancitur, sed non per se, neq; seorsim, sed quatenus Evangelij

gelij testimonium iis est insculptum, cum quo semper sunt conjungenda, ut appendices ejꝰ. Vox ergo ministrorum non tam eorum est, quam Dei, qui ipsorum ministerio erga nos utitur, & propter fidei infirmitatem & ejus pleniorem consolationem promissionem gratiæ non tantum indifferenter & in genere vult proponi, sed etiam singulis applicari. Illa annuntiatio est efficax & ministerium Spiritus, per quod Deus fidé confirmat & peccata remittit. Quo circa nullum in dolore peccatorum remedium præsentius, quam in ministrorum Ecclesiæ sinum ea effundere, quorum consolatio & divini verbi nititur authoritate, & Deum authorem habet. Major res est, quam ut hominum testimonio aut pollicitatione contenti esse possimus, in qua de æterna nostra salute agitur, nisi constaret, ministros Ecclesiæ à Deo ordinatos esse, Deumq; nobis per ipsos loqui. Etsi ministerium publicum in suis partibus undiqvaq; semper non sit purum & sincerum

cerum,& non sit novum, ut ministerij cathedra occupetur à falsis Doctoribus piis non raro cum detrimento Ecclesiæ succedentibus, Deus tamen etjam per corruptum ministerium efficax est in electis, non quidem per id, quod adulterinum accedit, sed per id, quod adhuc Spiritus Sancti proprium est, & reliqvum manet. Substantia enim & efficacia Sacramentorum non pendet à dignitate personæ ministrantis,sed á DEO, & potest qvis aliis ad salutem prædicare, ut ipse reprobus fiat. Si vis Sacramentorum à dignitate ministrorum penderet, salutis nostræ nullam certitudinem habere possemus, qvia alienæ conscientiæ fides & status semper ferè nos latent. Numquid igitur consolatione plenius dici potest hac voce in nomine Christi ad nos sonante: Confide, ô homo, remittuntur tibi peccata tua, eamque ratam à tota Trinitate haberi? Minister Ecclesiæ confitentes peccata

sua

sua in nomine Christi absolvit, & interius delentur peccata, & datur gratia Christo DEO operante, ut ipsius clementiam agnoscat orbis, & tremat potentiam ad dexteram Patris semper assistentis. Christus de cælo venit magno medicus, qvia per totum mundum ubiq; jacebat ægrotus. Non enim eum de cælo ad terram traxerunt merita, sed peccata nostra. Ad illum si infirmati anima vel corpore confugiamus, & præmissa salutari confessione peccatorum nostrorum sacratissimum ejus corpus ac sanguinem percipiamus, nos nostraque omnia divinæ voluntati tutò committere possumus ad consequendum salutem animæ ac corporis. Quocunque se vertat Christus, sequamur illum, sive bona tribuat, sive labores, sive paupertatem, sive divitias, in omni tempore benedicamus illi, & in omni tempore rogemus illum, ut doceat nos vias suas, & à quacunque infir-

infirmitate animæ atq; corporis sanet. Semper autem prius animæ ille confert salutem, quam infirmitatibus corporis nostri medeatur, docens & nos animæ negotia, ejusq; salutem prius agere, quam corporis. Sunt enim æstus febresq; animarum nostrarum semper majores, qvam corporum, & sicut alij ad alios morbos procliviores, ita alij ad alia vitia propensiores, & nemo ab iis immunis. Christus vero medicus noster sanitas est in nobis, qvi pertulit vulnera propter nos, & morte sua in cruce expiavit crimina nostra regnans à ligno Deus cum Patre & Spiritu Sancto omni jugiter ævo. Multi quidem & magni sunt languores nostri, sed longè amplior est medicina ejus. Christus mirabilis in sanctis suis mentes eorum peccatorum nebulis malitiaq; excæcatas lumine suæ gratiæ illustrat, voluntatem claudicantem in alicujus rei temporalis sive carnalis appetitu rectam facit, surdos verbum Dei non audientes per

ægri-

ægritudines & alias seculi calamitates sanat, mortuos in peccatis per pœnitentiá revocat in vitam, & Eucharistiæ exhibitione beatæ resurrectionis & immortalitatis capaces efficit. Nos vero, proh dolor! quam proni & proclives ad peccandum, tam verecundi & difficiles sumus ad confitendum peccata nostra. Nam naturæ nostræ repugnat coarguere se ipsum, & factum condemnare proprium, quod illud sine rubore à nobis fieri nequit. Verecundiam, qua deberemus suffundi in peccatis nostris ad confessionem & pœnitentiam, & perspicuam operam ac diligentiam, quam deberemus omnibus hominibus probare in agenda pœnitentia, transferimus ad peccata. Sed verorum Christianorum & bonæ mentis indicium est, sentire vulnus peccati, &, qui confitetur, eo liberatur, qui non confitetur, neq; eo liberari potest. Error in pluribus est, in paucis correctio. Initium autem salutis notitia peccati, & nulla alia erroris

roris medicina est, qvam fateri, qvod nocet abscondi Solvit enim criminum nexus humilis confessio peccatorum, & culpa est veniabilis, qvam sequitur professio delictorum. Confitendo Domino, cujus oculis nuda est abijssus humanæ conscientiæ, displicemus nobis, & erubescimus de nobis, & abjicimus nos, atq; eligimus ipsum, ut ipse refulgeat, placeat, ametur, & desideretur, & nec ipsi nec nobis placeamus, nisi de ipso. Justitia solum damnat, sed dignus est misericordia, qui spirituali labore gratiam petit. Laborat mens patiendo erubescentiam, & qvoniam verecundia magna est pæna, qui erubescit pro Christo, dignus est misericordia. Semper enim infirmitati nostræ dat veniam, qvum ad illum confugimus, utcunq; mereamur relinqvi. Quanto magis peccatum extenuamus, tanto magis gratia vilescit, & stultitia extrema est, qvod existimamus remedium potius in fuga à Deo esse, qvam in reditu

reditu ad Deum, qvamvis ad Deum natura peccatrix sine divino auxilio redire non possit. Sua vulnera nutrit, qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti. Reus cum occiditur, persona magis qvam culpa punitur: ubi vero culpa deponitur, absolutio personæ est pæna peccati. Sicut ferrum in ignem missum amittit rubiginem, totumq; candens efficitur, ita homo integrè ad Deum se convertens à peccato exuitur, & in novum hominem transmutatur. Non autem decet pœnitentes confidere de meritis suis, sed suam magnam miseriam Deo offendere, & misericordiam postulare, ut ab ea liberentur. Justitia enim nostra & æterna beatitudo non consistit in absoluta omnibus numeris perfectione, qvam in hac naturæ nostræ depravatione nemo unqvam est consecutus, multo minus ejusdem integritatis hypocritica simulatione, sed in gratuita DEI misericordia, igno-

ignoscentia, & hominis lapsi ingenua & aperta confessione. Exaudit Deus peccatores in nævis suis se ipsos reprehendentes, & fracta voluptatis illecebris si incauta juventa vitiis se polluit, aut error lubricus fefellit adultos, benignitatis & lenitatis suæ memor, paterna utens indulgentia, miseretur. Nostris qvod negaret moribus, suæ denegare non potest Clementiæ, nec denegat, nec precantes bona bonus vacuos repellit, nec viam poscentibus rectam abest unqvam recti & æqui regula. Tam immensa & exuberans est Dei dilectio, ut nunqvam miseriam nostram relinquat misericordia eius miserabiliter in peccatis jacentes expectans ad pœnitentiam, & interdum rebelles ad se redire compellens, donec displiceant nobis tenebræ nostræ, & lux in Domino convertamur ad ipsum. Ad veniam nos vocavit non quærentes, quanto magis veniam impetrabimus eam postulantes Quærentibus enim Dominum & diligentibus

tibus sua maxima pietate, inenarrabili benignitate ac inæstimabili largitate gratiam misericorditer donat & tribuit. Qui suscepit ad pœnitentiam peccatricem lachrimantem, Chananæam supplicantem, publicanum exorantem, deprehensam in adulterio mulierem, Matthæum in telonio sedentem, latronem confidentem, discipulum negantem, persecutorem discipulorum furentem, denique non aversatus fuit illos ipsos, à quibus cruci affixus est, paratus est & nobis, si in veritate convertimur, non solum veniam concedere & peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare. Confiteamur igitur & agnoscamus peccata nostra, ut lætum audiamus nuncium remissionis peccatorum, & per eam malæ culpæ nimium tenaces abluantur sordes. Offeramus Deo cor pœnitens, & suorum peccatorum conscientia prostratum, ita tamen ut de Dei ignoscentia non desperemus,

mus,& in merito Christi veram munditiem & innocentiam nobis repositam esse,neqvaqvam dubitemus. Proferamus & qvasi in triumpho ducentes peregamus ac denudemus vitia nostra & iniqvitates, ut justificemur, & justificati non confundamur pudorem peccatorum matura confessione prævenientes. Ex toto corde affectum nostrum patefacientes in Deum, confitendo misericordias ejus super nos, desinimus esse miseri in nobis,& beatificamur in ipso,spe misericordiæ ejus securiores, qvam innocentia nostra. Miseretur enim Deus suspirantium sibi die ac nocte, secundum magnam misericordiam suam, propter Sanctum nomen suum, qvoniam bonus est & in seculum misericordia ejus. Ne autem mundati à peccatis & reformati in novitate mentis nostræ denuo pristinis sceleribus polluamur, sed confirmemur in omni opere & sermone bono, imploremus ducem & rectorem

ctorem actionum nostrarum Spiritum Sanctum, ut ejus auxilio à lapsibus immunes Dei clementiam perpetuò celebrare possimus. Publici peccatores ut & ij, qvi semel excommunicati sunt, publicè sunt indicandi Ecclesiæ, ut ab omnibus pro veris membris recipiantur ac habeantur.

De Pœnitentia.

Caput XVI.

NOn aliud post baptismum remedium constitutum est, quam salutaris pœnitentiæ auxilium & solatium, si volumus à æternis pœnis liberari. Nam Deus, qui culpa offenditur pœnitentia placatur: Illam qui tollit vel negligit, viam vitæ sibi amputat, & spaciosam, prâvam, ac malignam in tenebris ambulat. Pœnitentiæ vox significat dolorem in animo conceptum ob malum commissum vel bonum prætermissum. Est enim pœnitentia passio qvædam animi veniens de offensa sententiæ prio-

prioris, & noſtrum opus agere pœnitentiam delictorum: Dei vero munus implere gratiam myſterii. Ubi non deerit devotionis officium, aderit etiam abſolutionis remedium. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, ut gratia poſſit abolere, ſive teſtimonium remiſſionis & abolitionis nobis reddi. Dividitur in publicam & privatam. Illa publica culpæ & criminis à nobis commiſſi agnitio eſt, qva in nos ipſos ad Eccleſiæ exædificationem & cæterorum terrorem certa aliqua pœna vel conſtituta vel indicta ſcelus noſtrum vindicamus. Rara eſt hæc pœnitentia in Eccleſiis noſtris, & difficile eam agere. Timore enim hominum, quibus diſplicere vel mali odoris eſſe magis metuimus, quam divinæ juſtitiæ parere, ferè omnes abſterrentur. Sed non erubeſcat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere. Privata pœnitentia, quæ nihil aliud, eſt, quam

qvam sui correctio, sive regressus à diabolo ad DEUM, inprimis necessaria est, quotidiè à nobis agenda, ne in DEI iram & ultionem incurramus, in cujus manus horrendum est incidere. Quia enim peccando indies à Deo recedimus, nisi per veram conversionem ad illum redire non possumus. Partes habet contritionem & fidem, quam sequitur nova obedientia. Contritio ipsam conversionem, quæ formaliter conversio est, antecedit, novitas vitæ subsequitur: Ipsa vero fides est forma conversionis. Hac enim posita homo conversus esse dicitur, negatur conversus esse, si absit. Essentialiter ergo conversio in fide consistit, contritio & novitas vitæ cum fide simul accipi possunt quasi partes integrales conversionis. Est autem contritio ea pars conversionis, qua Spiritu Sancto arguente nos voce legis agnoscimus secundum Dei judicium nostra peccata, & pœnas quas commeriti sumus, nempe

iram

iram Dei & æternam condemnationem, & verè cohorrescimus ac dolemus cum propter offensum DEUM benè de nobis meritum, tum ob pœnas, qvas transgressoribus minatus est. Nisi admonitio aliqua voluntatis Dei, & Spiritus Sancti motus & instinctus nos præveniat, verè pœnitere non possumus, hoc est, abnegare nos ipsos, damnare vitam anteactam, & quæcunq; in nobis Deo adversantur, renuntiare omnibus, quæ habemus, & peccato mori, qvod non fit sine interna tristitia, gemitu, & lachrimis. Qvod enim inveteravit, & moribus insitum diu aut semper placuit, cito evelli non potest, & magnitudine morbi non rectè cognita, remedium qvoq; non cognoscitur, nec desideratur. Natura peccati est, ut non sinat animum ad Deum refugere, sed potius cogat ad fugam à Deo, & nullus finis peccandi, ubi semel à verbo deflexum est. Qvi malum faciunt, oderunt lucem, peccatum excusant, & volunt

volunt haberi pro justitia. Deus autem à nobis non vult coli fuga, aut fremitu adversus ipsum, sed ingenua confessione miseriæ nostræ, & fiducia ipsius misericordiæ. Ideo avertenda mens ab omnibus, qvæ non sunt Deus, aut qvorum causa & author ille non sit, ad summum & verum bonum, quod est & vocatur Deus, illiq; humiliter subjicienda, & agnoscendum peccatum. Humilis peccatorum contritio acceptabile Deo est sacrificium, longè svavius olens in conspectu ipsius, qvam thuris incensum. Cum humiliamur, peccata nostra cognoscimus, & ipsa humilitate ea purgamus, inde ordinem emēdationis inchoantes, unde culpa processit, quæ severiore sententia damnatur, si unusqvisq; crimen suū oderit, & in se incipiat condemnare delictū. A fundo arcano contrahenda & cōgerenda alta consideratione tota miseria nostra est in conspectū cordis nostri, & recogitandū, qvæ peccata & contra qué cōmisimus, qvæ peccādo

perdidimus, qvibus pœnis nos obstrinximus, qvid de nobis miseris futurum esset, si in mortali peccato decederemus, ut contritionem, compunctionem, dolorem, & securitatem, ne de integro incidamus in consveta peccata, qvod præcipuum est in vera conversione, habere possimus. Qvi enim peccata in se animadvertit, & ante oculos malefacta sua ponit, non facilè labitur: qvi vero præterita pro nihilo habet, paulatim in pejora ruit. Amore amoris Dei recolendæ viæ nostræ neqvissimæ in amaritudine recogitationis nostræ, ut ipse fons vitæ & Deus totius consolationis dulcescat nobis, dulcedo non fallax, dulcedo felix & secura. Sicut nullum peccatum insanabilius, qvam se peccatorem non arbitrari, ita magna justitiæ pars est, se ipsum injustitiæ coram Deo accusare, & renudare vitia sua. Vult enim Dominus se rogari, vult de se sperari, vult sibi supplicari, vult nos flere & cõfiteri peccata nostra, ut ipso protinus, nobis

no-

noxa solutis reconciliato evadere possimus. Sunt lachrimæ tacitæ qvodammodo preces, veniam non postulant & merentur, causam non dicunt, & misericordiam conseqvuntur. Sermo in precando forte fallit, sed lachrimæ omnino non fallunt. Gaudet Deus super illa nostra pænitentia, & respicit fidem, qva desideramus multo aliter nos habere qvam prius, & quanticunq; peccatores fuerimus antehac, in gratiam recipit, nobisqve omnia peccata condonat, qvod magis honorificum est ipsi peccata dimittere, qvam punire. Ipsa enim justitia Deum ad misericordiam adigit, qvia nimirum Pater noster est, & nos ejus Filij, ut intuens Filium suum propter mortem & sangvinem ejus pro nobis effusum ea delicta instar nubis deleat, ac in profundum demergat, qvæ nos commisisse aliquando ex intimis sensibus dolemus. Si parentes hic in terris tantoperè amant liberos, ut intuentes eos statim iram suam contra ipsos

pſos ſuſceptam remittant, multo magis intuitum Patris cæleſtis in meritum unigeniti Filij ſui pro nobis deprecantis, & cor ejus ad miſericordiam extimulantis id efficere credendum. Licet Deus indignetur & iraſcatur peccatis noſtris, non tamen obliviſcitur pietatis ac miſericordiæ ſuæ, nihil interire volens eorum, quæ pulcherrimus ipſe tam pulchrè finxit, qvæq; tanto impendio redemit. Qvi ad tempus ſolum dolent ob commiſſa peccata, & in poſterum ea fugere animum non inducunt, nec intus & in corde veram pænitentiam agunt fide deſtituti, qva corda purgantur, fieri non poteſt, ut malorum ſuorum peccatorum veniam conſeqvantur. Nam inanis eſt omnis pænitentia, qvam ſeqvens coinqvinat culpa, & aut æterna damnatio ſubeunda, aut vitæ ratio in meliorem mutanda eſt. Peccator ſi ſibi ipſi non pepercerit, à Deo illi parcitur, ſi futuras Gehennæ pænas perpetuas in hoc parvo vitæ ſpacio penſitaverit, & à peccatis caverit, ſe i-

psum ab æterno judicio liberat. Lethalia corporis vulnera fugimus, & qvoad possumus, ne lethaliter feriamur, operam damꝰ, multo magis lethalia animæ vulnera à nobis fugienda, cum illa mortem minentur temporalem, hæc æternam. Si justitia justi aboletur ruentis, nullo modo pœnitentia peccatoris instar canis ad vomitum redeuntis, & instar suis volutabrum repetentis Deo placere potest. Ideo castigandum corpus nostrum per veram pœnitentiam, & antiqva delicta, & transactæ fœditates, & carnales corruptiones nostræ melioris vitæ conversatione amore Dei purgandæ sunt, ut in hora mortis certam habeamus salutis nostræ confidentiam. Induendus novus homo, qvi secũdum Deum creatus est in sanctitate & justitia vera. Flectenda genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, per qvem omnes, qui in cælo & in terra sunt, cognatione una spirituali conjungũtur, ut internꝰ homo Spiritu ejꝰ in nobis crescat & vires colligat, qvibꝰ externꝰ pessundetur. Quo

magis enim homo, qvi foris est, corrumpitur, eo magis, qui intus, de die in diem renovatur. Quod ubi per fidem & veram conversionem fit, præsto est venia & gratia divina, imo ipse Christus cum merito suo pretiosissimo, qvod est satisfactio pro peccatis nostris, majori desiderio qværens salutem nostram, qvam nos eam petimus, promptior, ut sua beneficia nobis conferat, qvam ut nos ea accipiamus. Momentaneam & mortalem iram DEI faciunt, qvi peccare desinunt: misericordiam vero perpetuam & æternam experiuntur omnes resipiscentes. Novit enim Dominus mutare sententiam, si nos noverimus mutare delicta. Qvotqvot autem remissioni ingrati novam vitam, cujus exordium ac fundamentum est mors Christi, non ingrediuntur, exerentes pectora non ea tundentes, & accepturi remissionem peccatorum conservis suis pauca debita non remittunt, neq; verbis vel operibus offensis reconciliantur, hi

cæci

cæci sunt,& à cæcitate cordis in æternum non liberantur, sed tenebræ, mors, & condemnatio illos comprehendent. Eadem enim mensura,qvâ mensi fuerimus,Deus remetitur nobis, & nostra in proximum indulgentia divinæ in nos indulgentiæ mensura est. Non omnes,qvi dicunt Domine, Domine,regnum cælorum intrabunt, verum illi tantum, qui faciunt voluntatem Patris cælestis, quæ est sanctificatio nostri. Sanctificamur accipientes remissionem peccatorum, & puram vitam agentes per fidem in Christum aspersi ipsius sangvine, qvi nos emundat ab omni iniquitate. Assiduè se dicere peccatorem, & in peccatis perseverare, iisq; delectari, professio est, non emendatio, accusatur anima,non sanatur,pronuntiatur offensa,non tollitur. Pœnitentiam verò certam non nisi odium peccati & amor Dei reddit. Qui insuper gloriantur de commisso mortali peccato, eo ipso iterum peccant, qvod ob commissa scelera

exultant, qvæ magis detestari deberent, qva nulla major cæcitas esse potest. In venialibus qvoq; minimisq; manere, & ea non curare corrigere, gravis impænitentia est. Nullum enim veniale peccatum, qvod, si placeat, non fiat criminale, & nisi per pænitentiam mox deleatur, suo pondere ad aliud non trahat. Nihil parum est qvod mortale est, neq; parvum qvid lucrari aut perdere regnum Dei. Propterea abjecta omni stupiditate peccatorum nostrorum sensu ita afficiamur, ut nos ipsi damnemus, nobis displiceamus, ad Dei horrenda judicia tremamus, & ad summam ejus misericordiam nobis exhibitam in Christo per ipsum Christum vera fide recurramus, & tanto vehementius festinemus, quanto magis nos premunt peccata nostra. Non reqvirit Deus spacium annorum aut longitudinem temporis in pænitentia, neq; lente ab illis, qvos sanat, langvor abscedit, sed illico, qvos manu misericordiæ suæ restituit ex integro,

tegro, convalescunt. Nihil præter cor cõtritum ac humiliatum respicit, qvod qvi afferunt, nullam unqvam patiuntur repulsam. Detecto vulnere & compuncto animo DEI misericordiam implorantes, ut ille nos sua gratia tangat & sanet, sic tim mundamur à lepra nostra spirituali peccatorum, & absolvimur ab omnibus criminibus nostris. Gratia sua nobis dimittit mala & nefaria opera, & misericordia sua tanqvam glaciem solvit peccata nostra, agens nobiscum secundum bonitatem suam, non secundum nostram malitiam & iniqvitatem, ut ab omnibus malis erepti gratias ipsi magnificas læti persolvamus. Vivit apud Deum sine ullo defectu bonum nostrum, inde aversi amplius amando proprium nostrum, qvam ipsum omnium bonum, perversi sumꝰ. Nobis autem inde ruentibus & absentibus non ruit domus nostra æternitas ejus. Ideo non timendum, ne non sit, qvò redeamus. Patet ad eam nobis reditus conterritis

peccatis ac mole miseriæ nostræ, & Patris cælestis prece supplice vultum qværentibus, donec ille se reddat nobis, mitisq; vita amabili tractis è profundo vitiorum gurgite rursus det frui. Pietate humili reditur in Deum, & ipse miserans retrahit lapsos in viam justitiæ, qva imus ad Æternitatem domum nostram, & purgat nos à consvetudine mala, & propitius est peccatis confitentium, & exaudit gemitus compeditorum, & solvit à vinculis, quæ nobis fecimus. Nam benignus est Dominus, qvi neminem vultum suum quærentem & ad se venientem repellit aut frustratur, sed ex divina miseratione omnibus dignè pænitentibus propter Christi meritum remissionem peccatorum sine numero & sine termino clementissimè largitur & indulget. Illam consecuti Deo vicissim serviamus, & obtemperemus secundum præcepta & legem suam sacrosanctam, à malè agendo perpetuò abhor-

abhorreamus, bene agendo lætemur, donec eo pertingamus, qvo tendimus, nempè ad ultimum interitum carnis noſtræ, qui in hujus vitæ mortalis interitu perficietur. Ut viator ſub umbra amænæ arboris obdormiſcens, expergefactus cum ſumma feſtinatione reliqvum conficit iter, ita Chriſtianos, quò magis viderint diem obitus ſui appropinquare, eò magis puram & immaculatam vitam agere, & feſtinanter ſalutem ſuam operari decet. Quando hinc exceſſum fuerit, nullus amplius locus pœnitentiæ eſt, ſed vita aut amittitur, aut tenetur. Hodiè reſipiſcendum, ut Domini voluntas in nobis lucem & cognitionem voluntatis ejꝰ habentibus fiat. Nam Deus pœnitentibus vitam ſpoſpondit, ſed peccantibus diem craſtinum non promiſit, & multi eum non attingunt. Dimittamus igitur incertum, & teneamus certum, accendamus facem noſtram, priusqvam ſponſi nobis claudatur Janua,

nua, qvæ expectare diu non solet negligentes, ne morte præventis nullum sit conversionis remedium. Dum sumus in peregrinationis tempore & pacis diebus, in qvibus nos Dominus expectat, ut benè viventibus coronam gloriæ largiatur, pœnitentia à nobis agenda est, ut, cum venerimus in judicium Dei, à Deo non confundamur, sed ab eo in regnum cæleste inducamur præstante Domino nostro JEsu Christo, Qvandocunq; Sathanas nos avertere tentat, vel etiam avocare à vera pietate & pœnitentia, ut meliora deserentes frustra sectemur nubes ac inania, vincendus est per ipsum, qvi in nobis habitat, non solum dans nobis vitæ correctionem, sed etiam efficiens in nobis novam justitiam, quæ etsi immunda est, tamen placet Deo, qvia qvicqvid est immundiciei, id tegitur imputata nobis justitia & innocentia ejus tanqvam veste. Adspicientes in Christum per veram in ipsum fidem, metu

sai-

non afficimur, ut qvi splendorem Mosaicum adspiciebant, sed mundati à peccatis nostris formam accipimus similem ei, qvam accepit à Deo, & novæ creaturæ in Christo habemus fructum nostrum, nempe sanctificationem, qvam novitate vitæ tueri debemus, ut consequamur finem vitam æternam. Quanqvam conscientia nostra meretur damnationem, neq; pœnitentia sufficit ad satisfactionem, certi tamen sumus, qvod Dei misericordia superat omnem offensionem. Idcirco nemo existimet, pœnitentiam à nobis agi, ut ea mereamur salutem tanqvam opere, sed ut pareamus voluntati DEi, neque unqvam fidamus operibus nostris. Fide enim accipimus remissionem peccatorum, qvæ non nititur dilectione aut aliis virtutib9, sed sola misericordia promissa, neq; prius potest existere dilectio, anteqvam apprehensa est remissio. Qui vero propriæ justitiæ confidunt, justitiæ gratuitæ

per

per Christum partæ non sunt capaces. Non enim valentibus, sed ægrotatibus & malè se habentibus medico opus est. Væ hominum vitæ qvamvis laudabili, si remota misericordia DEUS eam discutiat! In ejꝰ gratuita clementia seu charitate omnis salutis nostræ fiducia collocanda, & qvantumcunq; fuerimus justi in oculis hominium, confitendum tamen nos peccatores esse coram Deo, & speranda misericordia. Deus enim miseretur, qvorum miseretur, hoc est, quicunq: misericordiam conseqvuntur, non ex operibus & meritis suis, sed ex gratuita Dei misericordia eam accipiunt. Christus Dei Filius pro nostra salute se humiliavit, eum oportuit Apostolos imitari ut magistrum, & nos omnes ut Redemptorem nostrum, & cum omni humilitate ac gratiarum actione conversionem & illuminationem nostram suscipere. In vera enim contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ

veniæ, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, præservatur homo à futura ira, & occurrunt sibi mutuo in osculo sancto Deus & pænitens anima. Si modo peccator verè pæniteat, licet intercurrente articulo mortis aut necessitatis ad confessionem pervenire non possit, confidentes credimus, summum Sacerdotem complere in eo, qvod mortalis non potuit, qvia confessionem contemptus non exclusit, sed impedivit necessitas.

De Fide Justificante.

Caput XVII.

QUod corpori est anima, id fides animæ, vita, lux, salus, solatium, virtus, justitia, victoria, & animæ anima nostræ. Fide Deum apprehendimus, Deum tenemus, Deum diligimus, Deo vivimus, & Deo placemus Fide justificamur per gratiam Dei peccata nobis non imputantis, qvam fides

des credendo recipit. Est enim fides fiducia innitens promissionibus gratiæ propter Christum promissæ, qvæ non humanitus potest concipi, aut retineri, sed divinitus donatur, & accenditur in nobis ministerio verbi, in qvo Deus est efficax. Per auditionem fides concipitur: per auditionem autem non humani verbi, sed divini, id est, Christi, ab illo nascitur, ab illo nutritur, & in illo fundatur. Primum fides statuit, verbum Dei revelatum esse verum: deinde nititur misericordia Christi, & utrumque sibi applicans in eo, qvod proponitur & promittitur, securè acqviescit. Major fides qvam lex est. Nam lex ad nos pertinet, fides refertur ad Deum: lex temporalem habet justitiam, fides æternam: per legem fit cognitio peccati, per fidem abolitio: qvod lex imperat, fides impetrat. Fides substantia sive inchoatio rerum operandarum, & argumentum non apparentium invisibilia tantum ac cælestia spectat, & ea, qvæ

non

non videntur, promissa à Deo & nondum præstita, tam certa persvasione apprehendit, qvam si oculis cernerentur, & manu tenerentur, eamq; animi certitudinem in cordibus nostris gignit, qvam nulla vis, nullæ tentationes nulla machinamenta evertant. Qvod enim animæ intellectu & corporis oculis capere non possumus, fide suscipimus & credimus, nos scilicet à Deo esse, ad imaginem ejꝰ & similitudinem factos, sub illo esse, ad illum tendere tanquam finem nostrum, & omnia spiritualia ac corporalia bona, qvæ possidemus, ab illo nobis donari. Per fidem recolimus Deum Creatorem, adoramꝰ Redemptorem, expectamus Salvatorem, timemus judicem, credimus videre in omnibus creaturis, habere in nobis ipsis, & cognoscimus in se ipso, unum in Essentia, trinum in personis. Per fidem credimus omnia, qvæ à sacra scriptura nobis ad credendum proponuntur, & credere jubemur, non solum qvæ firmis è natura ductis principiis probari, & rationis

vi demonstrari queunt, sed etiam de qvibus nostra ratio nihil balbutire, multo minus aut scire aut judicare innato suo lumine potest, utpote qvæ ex mera & sola revelatione cognoscuntur. Per fidem regnum cælorum in nobis inchoatur, in cælo per apertam visionem & fruitionem percipietur. Ubi enim Deus est, ibi qvoq; cælum suum habet, & ubi bonitatis suæ gustum exhibet, ibi regnum cælorum est: ubi Deus non est, ibi mors & infernus sunt. Qui DEum in hac vita non intuentur oculis fidei, hos Deus post hanc vitam non intuebitur oculis gratiæ. Nobilis ac animosa fuit patrum fides in veteri testamento, qvi ex obscuris vaticiniis mysticisq; sacrificiorum typis credenda expiscati expectarunt ea, quæ impossibilitatem qvandam præ se ferebant. Summa autem & fidei illorum & nostræ est Jesus Christus patribus promissus, nobis datus, & pro totius mundi peccatis

tis crucifixus & mortuus, idemq; author & consummator fidei, qvi proposito sibi gaudio sustinuit crucem, contempta ignominia, atq; in dextera sedis Dei sedet, qvia credidit, Deum esse veracem & promissorum servantem. Etsi eadem fide in Patrem & Spiritum Sanctum credimus, tamen is, per qvem Patrem & Spiritum Sanctum credimus est Christus. Quoniam fides Deo inhæret diligendo, non nisi Christo Mediatore & capite nostro certissimè apprehenso id fieri potest, per qvem omnes Dei promissiones sunt ratæ in nobis, extra qvem non est salq, & ad qvem omnia, quæ divinitus scripta sunt, referuntur. Per fidem in Christum subsistimus, & qui in Adamo limus fuimus, nunc sumus cælestes in Christo qvi habitator est nostri, & per habitantem Christum in nobis etiam ille habitator est nostri, cui est habitans in nobis Christus habitatio, & omnes unum sumus, Christus in nobis & Pater

in

in ipso. Per fidem enim agglutinamur Domino, unus cum eo Spiritus conjunctione spirituali, ita ut etiam corpus nostrum sit domicilium Dei. Non tamen Deus ita se ostendit in nobis, ut nihil sit vitij aut caliginis in nobis. Neqve putandum, cum in nobis sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eos naturæ unius esse nobiscum, sed sunt in nobis, vel nos in illis, ut illi unum sint in natura sua, nos unum in nostra. Sunt qvippe ipsi tanqvam Deus in templo suo: sumus autem nos tanqvam creatura in creatore suo. Christus nostra spes & certa fiducia neqvaqvam baculus est arundineus manum innitentem sibi destituens ac vulnerans, sed fidelis illa petra, in qva qvisqvis fundamenta jecerit, non metuit ruinam. Per fidem enim in Christum Deus, cui nihil sine ipso placet, nobis propitius & placatus redditut, condonando omnibus, qvi credunt in Filium, peccata, & in illa fide perseverantibus donando vitam æternam. Ardenti

desi-

desiderio Christo cohærentes, totiusq; salutis nostræ spem ac fiduciam iusfirmitatis ac indignitatis nostræ nobis conscij in ipsius passionem, mortem, ac meritum collocantes reconciliamur Deo propter Christum, qui suam in nos justitiam confert, quam fide apprehendimus & nobis applicamus. Ex illa fide, gratis, non ullis operibus nostris justificamur coram Deo, pacem habentes per Dominum nostrum JEsum Christum habitantem in cordibus nostris, cujus justitia vestiti sumus, propter qvam peccata nobis non imputantur. Nulla pax conscientiæ nisi in iis, qvi fide justificati, nullus verus Dei amor nisi in iis, qvi filiali fiducia erga Deum affecti sunt. Ut fiducia non est sine amore Dei, ita vera fides non est, nisi sit firma fiducia, quæ quo major, eò major Dei in hominem misericordia. Sicut enim magnes ferrum, ita fides gratiam Dei, quæ est in Christo Jesu, ad se attrahit, & una omnia DEI beneficia & bona, imo

imo Christum JEsum ipsum summum Dei donum, & cum illo vitam æternam, qvam nobis deperditis, ineffabili charitate, sua passione ac morte restituit. Sola historiæ notitia non affert pacem, sed desperationem, sicut in diabolis de Dei gratia & misericordia nullas erga se promissiones habentibus. Vera autem fides grato animo agnoscit immensum redemptionis beneficium, adversus immane debitum peccatorum solatium ac qvietem animæ in sanguine, morte, & merito Christi, citra cujuscunq; hominis opera, quærens, & cor omnis mali fontem mundans ac expurgans, spretis perfunctoriis mundi gaudiis, ad Deum se convertit, illum amat, in illum fiducialiter sperat, illum admiratur & colit. Fides sciens & considerans Deum cæcum non esse, neq; posse errare, aut illud amare, quod odio dignum est, reflectit oculos à sua indignitate, & figit in omnium exun-

dan-

dantissimam bonitatem Dei, & omnium locupletissimum thesaurum meritorum Christi, per qvæ nobis omnia peccata nostra remittuntur. Circumdent nos præterita peccata, premat metus futurorum, circumeant diaboli, terreant, persequantur, & accusent, Dominus Deus non est deserturus nos propter Filium, qvem pro nobis dedit, & in cruce passus est mori, simul ac ipsum intuetur in cruce ex mera obedientia pendentem, & totum corpus suum ad redimendum genus humanum exponentem. Fide vincimus mundum & mundi hujus principem. Per pænitentiam enim veteri Adamo in nobis mortificato cum desideriis & concupiscentiis ejus, ac omnibus, qvæ ex Adamo sunt, ut sunt peccatum, mors, & condemnatio, semen & regnum diaboli, Christus in nobis regnum suum inchoat, & nos in Christo per fidem vincimus, ne amplius vetus Adam, sed ille solus vivat & dominetur in nobis, atq; una cum illo arctam

ctam & anguſtam viam, qvæ ducit ad vitam, ingredientes omnium illius bonorum participes fiamus, filij lucis, ſemen Dei homines ſpirituales, regnum Dei. Qvi enim fide juſtificati pacem & gaudium in Spiritu Sancto perſentiſcunt in cordibus ſuis, jam hic ſunt in regno Dei, & hic incipiunt poſſidere per gratiam, qvod in futuro ſeculo poſſeſſuri ſunt per gloriam. Fidei nihil melius atq; aptius convenit, qvam agnoſcere nos omni virtute nudos, ut à Deo veſtiamur, nos peccati ſervos, ut ab ipſo liberemur, nos cæcos, ut ab ipſo illuminemur, nos claudos, ut ab ipſo dirigamur, nos debiles, ut ab ipſo ſuſtentemur, nobis deniqve omnem gloriandi materiam detrahere, ut ipſe ſolus glorioſus emineat, & nos in ipſo ſolo gloriemur. Nam principium defectionis à Deo eſt ſui ignorantia, qvando qvis ſe ipſum non cognoſcit, ſe amat, ſibi nimium tribuit, & ſe ſanum reputat, cum ſit miſer, cæcus, ac nudus. Perfecta vero homi-

nis

nis sapientia, imperfectum se esse nosse, & vera ad perfectionem via suæ cujusq; imperfectionis in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Nihil tam proprium, & hominum & Angelorum naturæ consentaneum, quam humilitas, quoniam pura veritas creatæ naturæ est, cognoscere factorem suum, cognoscere deinde conditionem naturæ suæ, & gratum esse. Si tenemur benefactoribus rependere gratias, multò magis à nobis requiritur, ut Deo, qui fecit, creavit, & redemit nos, gratissimi simus, & memores munificentiæ ejus ad illum omnia referamus. De nobis vero non possumus tam parva tamq; exigua cogitare, qvin vera sentiamus. Qvod si aliqvantisper extollimur, veritas in nobis non est. Superba mens expellit fidem, humilis conservat, illa ingratitudinis, hæc gratitudinis mater, & humilis peccator Deo gratior, qvam sanctulus superbus ob suam sanctimoniam insolenter se efferens, qvod Deo magis placet humilitas in malis factis,

qvam superbia in bonis. Licet fides in justificationis foro munus qvoddam obtineat, qvod humilitati asscribi nequit non unum idemq; operanti, semper tamen eam habet conjunctam, & ubi vera fides est, ibi fastus, ambitio, & gloriæ cupiditas exulant. Nam fides mitis, mansvera, ac humilis sibi nihil, omnia Deo tribuit, & laudes reddit, peccatoq; moriens atq; justitiæ vivens ad cælestia tendit, tanto altius ad Deum ascendens, qvantò profundius in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit. Superbia gravissimum mendacium, qvod Deo asscribere cum gratiarum actione debebat, sibi arrogat, se præfert aliis despectis, se jactitat, & se laudat terrenis inhians, de æternis parum aut nihil sollicita, qvò magis sibi placet & humanis laudibus delectatur, eò morti proximior. Cecidimus inflati superbia ascendendo adversus Deum, ideo nobis iterum descendendum est, ut ascendamus, & ascendamus ad Deum. Fides semper vera, si verum objectum, qvod

qvod est Christus, apprehendit, nunqvam est sine exercitiis & paroxysmis, modo vir, modo infans manuductione opus habens, modo arbor firma, modo calamus, modo lux ardens, modo linum fumigans, modo clamor sonorus, modo desiderium & gemitus coram mundo absconditus. Virtus enim Dei in infirmitate perficitur. Itaq; sicut ille discendo se senem fieri gloriabatur, ita multo magis christianorum fides per omnes ætatum gradus progredi debet, donec adolescat in virum perfectum. Nam Spiritus Sancti dona paulatim & pedetentim crescunt audiendo, legendo, & meditando verbum Dei, &, ut Deus ea nobis communicet, & crescant in nobis assidua precatione opus est. Postqvam vero vera fides & conversio ad Deum in cordibus nostris inchoata est, ac Spiritus Dei testimonium perhibere cæpit spiritui nostro, nos esse filios Dei & hæredes vitæ æternæ, vult Deus lumen cordium se videntium, & vita animarum se a-

mantium, & virtus cogitationum se quærentium, qvi dat velle & perficere pro sua voluntate, nos certo statuere, qvod hanc voluntatem suam erga nos, ut ab æterno habuit, ita in æternum non sit mutaturus, sed in æternam vitam ex hac vita per omnes tentationes & pericula cum timore operantes salutem nostram, & in fide usq; ad finem perseverantes educturus. Ideo enim credimus vitam æternam, qvod Christus est vita nostra, & nos in illo omnia habemus ad salutem necessaria, qvi in charitate nimia adoptavit nos, qvi verax est in promissione, qvi potens in exhibitione, & cujus dona sunt sine pœnitentia. Per fidem autem veluti canalem divina illa mysteria & beneficia Christi longè lateq; se pandentia in nos derivantur, qvibus instructi intrepidè pergimus ad illum sanctorum cætum justorumq; conventum, & tandem pervenimus in cælum exoptatam Hierusalem, qvam speramus, ubi de gloria transformabimur in gloriam, de glo-

ria fidei in gloriam contemplationis æternæ. Habet has laudes omnes fides, qvod nos justificat, qvod nos victoriosos, qvod salvos & Deo gratos facit, ratione objecti ex merito Christi, qvod notandum, ne ad fidem tanqvam instrumentum transferamus, qvod Christi proprium est, & qvod Dei gratia in nobis efficit, nobis tribuamus. Ratione enim nostri fides imperfecta, manca & polluta, ac infidelitate ita commixta atq; conspurcata est, ut ne virtutis qvidem nine digna sit, nedum mereri qvid apud Deum possit. Nemo tamen contristetur ob fidei suæ imbecillitatem. Nam exiguam quoq; fidem Deum non aspernari, modo media, qvibus incrementa dantur, non repudientur, & semel conceptam rursus excuti ac amitti posse ex exemplis Petri, Judæ apostolorum, & Christi dictis planum est. Velle enim ad obediendum sic donat Deus, ut etiam â perseveraturis illam mutabilitatem, qvæ potest nolle, non auferat. Idcirco nemo securus esse de-

bet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, ut, qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Fide non illuminati Deum accedere non possumus, neq; orare, neq; agere quicquam sine fide DEo gratum, quod, quicquid sine fide fit, peccatum est. Titubante fide ruit charitas, & omnia bona opera hominum, quantumvis pulchra & speciosa, ante fidem sunt inania, & in peccatum vertuntur. Nec tantum habere ad Deum accessum, sed ut firmior accessus sit, principium & origo fides in Christo facit, omnium virtutum radix, bonæ voluntatis genitrix, pœnitentiæ ac novæ vitæ fundamentum, justificationis nostræ & eorius salutis basis, non quidem vi sua, aut dignitate, aut magnitudine, sed per Christum, cui nos conjungit. Per baptismum externarum actionum ratione ingredimur in Ecclesiam Dei, at internarum rerum respectu fides, ut omnes alias virtutes, in

ita & spem & charitatem præcedat necesse est. Quemadmodum autem fide justificamur, alienaq; justitia, nempe Christi induimur, à peccato, morte, & Sathana per ipsum liberati, ita vicissim charitate impulsi proximo servire, & fratrem sive proximum nostrum nostra justitia & bonis operibus induere & nostris bonis vestire atq; ditare debemus. Est enim fides, de qua loquimur, & qua mens nostra imbui debet, non mortua, quæ titulo atq; nomine tenus fides est, non reapse, de qua Apostolus Jacobus affirmat eo jam tempore quosdam per errorem putasse, illam homini sufficere, etiamsi malè vivat, & bona opera non habeat, sed illa, cujus fructus sunt bona opera fidei veræ & efficaciter viventis signa. Sicut fides humilitatem habet conjunctam, licet non unum idemq; operentur, ita neq; à charitate distrahitur, citra tamen hujus adminiculum justificans.

Qui fidem in corde habet justificatur: sed confessio & attestatio fidei debet esse comes individua ut eorum, qvi non credunt, consulatur saluti, Abrahamus pater fidei & absolutæ virtutis heros & fidei suæ & charitatis erga proximum nobis documenta reliqvit. Fuit enim fide primus, justitia præcipuus, in prælio strenuus, in victoria non avarus, domi hospitalis, cum uxore concorditer & mutuo amore vivens. Prudens & obediens in eo, qvod Deum agnovit, Deo credidit, ac obtemperavit præcipienti digressum è patria, & immolationem filii; justus, qvod acceptum reddere voluit; fortis, qvod appetitum ratione cohibuit, neq; patrium affectum voluntati Dei prætulit: temperans, qvod executionis modum & ordinem servavit. Dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, ipso immolandi ordine meruit, ut filium sibi reservaret. Condonatus est ei filius, & in figura mysterium redemptionis ostenden-

stensum. Insignitus autem à Deo est novo circumcisionis signo, ut gentes ad eum tanqvam signiferum accurrerent, & verum Deum agnoscerent ac colerent, & ipse secundum promissionem pater fieret multarum gentium, qvæ innumeræ toto orbe diffusæ imitaturæ essent Abrahami in Deum fiduciam. Impletum est illud tempus, & erexit hodiè Christus suum vexillum, non in uno populo, sed per universum orbem terrarum, & vult nos credere in ipsum & baptizari in nomine ejus, ut credentes salvemur, damnatis his, qui non credunt. Non enim *nisi* credentes salvantur, & qvemadmodum sapientes virgines de suo oleo communicare neqveunt stolidis ac insipientibus, ita quisq; sua non aliena fide victurus est. Justitia justi super ipsum, & unus qvisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

De bonis operibus.

CAPUT XVIII.

POst reconciliationem & justificationem nostram semper debent sequi bona opera, mandata expresso verbo Dei, quæ fiunt in fide, & ad illum finem diriguntur, ut DEum glorificent, & proximo inserviant. Qui vero laudem sibi iis venantur, habent jam mercedem suam. Sicut in Christo Deus & homo vinculo indissolubili sunt colligati, ita charitas Dei Charitatem proximi in se continet, quæ non facilius disjungi divelliq; possunt, qvam divina & humana natura in Christo. Qui hominem offendit, Deum pariter læsisse judicatur, nec DEus cujuspiam orationem aut pœnitentiam acceptat, nisi prius cum proximo in gratiam redeat, & lædens verbis vel factis læso per offensæ deprecationem aut ablati restitutionem satisfaciat. Pertinet enim ad novam obedientiam res alie-

nas

nas non retinere, sed reddere possessoribus suis, aut si hoc fieri non potest, eorum propinquis, aut si neq; illi adsint, conferre ad conservationem ministerii ac pauperum, & si proximum offendimus verbo, placare eum verbo, si facto, placare eum facto. Hæc satisfactio quamvis coram Deo non sit meritoria, tamen divinitus est præcepta, & veræ pœnitentiæ ac dilectionis indicium est. Inquit enim Christus: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid contra te, vade, & prius reconciliare fratri tuo. Qui hanc viam reconciliationis, sive sit pars læsa, sive lædens, inire recusant, his Deus comminatur pœnas temporales & æternas, tam atrox, tamq; enorme crimen est odium in proximum coram ipso. Hinc satius est, libere corripere, quam clam odisse, & vulnera diligentis meliora sunt, quam oscula nos odio prosequentis. Rectitudo enim hominis in fide mentis erga

Deum, & in veritate erga proximum consistit. Vir simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo laudatur: ore pius & animo mendax hypocrita verius est, qvam verus Christianus. Non autem decet nos vocari Christianos, & non esse. Nam non dici, sed esse beatos facit, & minimè boni sunt, qvi non indies studeant fieri meliores, & pravè agentes aut delinqventes non cito corrigunt, qvod corrigendum est. Si nomine gloriamur Christiano, gloriemur & in imitatione Christi, & talia sint opera nostra, qvale est nomen nostrum. Qvoniam fides & justificatio perpetuam comitem habent novam obedientiam & justitiam, qvæ inhæreat, inchoatam, manifestum est, necessaria esse ex hac hypothesi bona opera, non qvod ipsa justificationem constituant, sive efficiant, sive ipsum ejus actum ingrediantur, sed qvod fidem, qvæ ad eam tanqvam instrumentalis causa concurrit, necessariò consequantur, neq; ab ea separari possint. Propterea

pterea cum docetur fides in Christum, tantum abest, ut homines à bonis operibus retrahantur, ut ij animentur ad ea potius per Spiritum Dei voluntariè facienda, videntes tanta Christi erga se beneficia. Sed cum pessima boni & mali, æqvi & iniqvi trutina sit humanum judicium, & gravissima peccata sæpè pro levibus vel nullis eo censeantur, & nulla sit natio, qvæ non suum serpentem in sinu foveat, ac singuli homines multo magis errent, lex à Deo lata est justissimæ rationis imperium, & vitii ac virtutis appendendæ lanx & statera immobilis ac infallibilis. Illa lex Dei ubiq; præsidet omnibus nescientibus, qvid sit faciendum, & consulentibus se, simulq; respondet omnibus etiam diversa consulentibus. Liqvidè qvidem ipsa respondet, sed non omnes liqvidè audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper qvod volunt, audiunt. Optimi vero ejus consultores sunt, qui non magis intuentur hoc à lege audire, qvod ipsi voluerint,

luerint, sed potius hoc velle, qvod a lege audierint, & legem Dei vitæ formulam corde toto seqvuntur. Oportet enim nos ambulare secundum legem spiritualem, ut veniamus ad legis finem Dominum Jesum. Qui præcepta Dei custodit, & secundum ea vivit, spiritus est, & justitiam operatur, qui secundum corporis apperentiam, caro est, & à consortio charitatis alienus. Ante omnia Deum amare & timere debemus, omnem idololatriam fugere, propagare & sanctum habere nomen Domini, sanctificare diem Sabbathi in requiem destinatum à Jehova populo Judaico in memoriam creationis, ab Ecclesia novi testamenti in diem primum Septimanæ, quo resurrexit Christus à mortuis, mutatum, & non ab omni sed illicito opere feriari. Deinde honorare parentes, & qui eorum loco constituti sunt, magistratibus dare suum, benefacere omnibus, caste vivere, tenere propria bona & de

iis

iis proximum juvare, semper veritati studere, & non temere judicare & damnare alios. Cor mundum & ab omnibus affectibus vacuum habere. Amandus Deus, quia Pater & author omnis boni, verendus, quia Dominus, honorificandus, quia beneficus, metuendus, quia severus, & ex illius mandato nemini facienda, quæ nobis fieri nolumus. Prima tabula Deum, altera proximum respicit, in utraq; fides à nobis exigitur, studium desideratur, facta quæruntur, ne pietatem verba, ut lucum ligna, sive in verbis potius quam factis eam positam putemus. Secundæ tabulæ opera pendent à prima. Si enim Deum timemus, Deum amamus & invocamus, seqvuntur qvasi sua sponte secundæ tabulæ cultus & opera. Sublata autem prima, omnis generis crimina ac flagitia invalescant necesse est, quod contempto DEo, leges quoq; naturæ ab ipso datæ con-

contemnuntur, & omnia ad interitum festinant. Exemplum nobis præbent veteris Adami filii, qui nihil nisi limum, unde profecti sunt, sapiunt, & suopte spiritu ad omnia scelera præcipites feruntur, furantes, mœchantes, fraudantes, litigantes, ambientes, belligerantes, per adorandum nomen Domini pejerantes, nonnunqvam blasphemiis illud incessentes, putrescentes in stercore suo, gloriantes cum malefecerint, exultantes in rebus pessimis, semper suam voluntatem divinæ præferentes à Deo aversi & verè mortui. Diligunt mundum & se eo gravari conqveruntur, obgannientes Deo, & illo permittente immissas adversitates, ut resipiscant & fugiant à laqueis diaboli, impatienter ferentes. Illi vero veluti canes semper oblatrantes viam non mutant, neq; à peccatis desistunt. Mundus igitur præstat illis mercedem suæ naturæ perqvam similem, & convenientem. Sicut enim, si canem aliqvem lapide vel baculo ferias, & ille latrans

latrans fugiat, mox cæteri qvi circumstant, illum inseqvuntur, & percussum dentibus mordent, sic hos miseros, qvando in calamitatem aliquam incidunt, cæteri mundani statim inseqvuntur detractionibus mordentes, & illos talia supplicia mereri affirmantes, cum deberent corde dolere, & ore, ac opere subvenire. Qui vero Dei Spiritu, quem Christus suis largitur, aguntur, non nisi pia & justa amant, casta probant, oderunt lucata, & quicquid mundus miratur, fidemq; suam operibus dilectionis declarant, in id unicè incumbentes, ut gloriam divini nominis inculpatis moribus pro viribus suis illustrent, & quemadmodum Deus perfectissimè est glorificatus in Filio suo ita pro modulo suæ imbecillitatis glorificetur & in ipsis. Hi neq; in carne sunt, neq; sub lege, sed vitam vivunt immortalem, corporis nunquam morituri membra immortalia facti, ad cujus similitudinem quò propius accesserint, hoc magis atq; magis perficiuntur incre-

incremento fidei ac Spiritus Dei, & nihil eis nocere potest, cum nulla eis dominetur iniquitas. De vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur, qui Deum super omnia ardenter amant, & vera fide, quæ per charitatem efficax est, & vim suam in illis exercet, prædicti sanctimoniæ & puritati vitæ student. Extra Deum vero nihil desiderant, & quicquid boni in creaturis inveniunt, ad laudem sui conditoris referentes non quod ipsis videtur sed DEus præcipit, faciunt. Quia DEus purissima mens est, pura quoq; mente colendus est iis operibus, quæ etiam citra præceptum honestissima sunt, & præceptis ejus parendum non serviliter formidine pœnæ, sed ut ipsi placeamus, ipsumq; habeamus Patrem ac remuneratorem. Sine timore, fraude, desidia, & mentis tristitia hilariter Deo serviendum est nobis de manu inimicorum nostrorum, per misericordiam Salvatoris, Spiritus Sancti

Sancti gratiam, & fructuosam pœnitentiam liberatis. Nam maledictus omnis, qui opus Dei negligenter & fraudulenter agit, & inexcusabiliter meretur supplicium, qui, si voluisset, potuisset vitare peccatum, præcludendo sibi occasiones peccandi. Etsi autem opera justificatorum, quantumcunq; bona, nullatenus prosunt ad satisfaciendum per viam justitiæ offensis Dei, & remissionem peccatorum, gratiam coram Deo, & salutem æternam propter imperfectionem suam non merentur, quippe panno menstruatæ similia, &, si maximè perfecta forent, jam ante debita, quandoquidem creatura rationalis ex jure & vi creationis debet opifici suo perfectam obedientiam: sunt tamen aliæ suavissimæ promissiones, quæ studium benè operandi in nobis excitare debent. Tales sunt: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati,

ti, qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet, & qui dederit potum uni ex minimis Christi calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. Hæc omnia hominis benè merita & opera intelligendum Dei munera esse, quibus cum vita æterna redditur, gratia pro gratia redditur, cum nihil habeamus, quod non accepimus, & omnium donorum & effectuum nostrorum Deus ipse munificentissimus sit author. Nemo enim habet quicquam, nisi ei illud desuper datum fuerit, & à quo esse nostrum est, ab eodem quoq;

quoq; bonum esse est, quod de omnibus animi nostri dotibus & virtutibus dicendum. Deus dives in misericordia & largus in præmiis dat nobis de bonis suis, ut ex eis serviamus ipsi, nullisq; præcedentibus meritis & bonis operibus & amorem sui nobis inspirat, & facit, ut faciamus, & ut velimus. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subseqvitur, ne frustra velit, ut totum Deo debeatur, qvi hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Congruit enim justitiæ Dei, ut honestè viventibus det gratiam & Spiritum Sanctum, & tum opera eorum, qvæ faciunt, tantæ sunt dignitatis, ut mereantur vitam æternam. Qvicqvid habemus ex nobis, displicet Deo in nobis: qvod autem habemus ex Deo, placet Deo in nobis, & si ad aliqvid idonei sumus, id ex Deo est, totum ipsius muneris. Homo autem sine Deo sibi nihil aliud est, qvam dux in præceps. Nam nullum peccatum est, qvod unqvam fecit homo,

quod

qvod non possit facere alter homo, si creator desit, à qvo factus est homo. Sed qvod non facimus, ipse facit, qvod abstinemus, ipse jubet, & qvod ei credimus, ipse gratiam infundit, gratia ac misericordia sua nos semper prævenies. Qvapropter qvando homo cæperit habere bona opera & merita, non debet sibi illa attribuere vel arrogare, qvæ pessima est idololatria, propter qvam lucifer cecidit è cælo, ceciderunt protoplastus Adam & mater cunctarum gentium Eva, aliiq; innumeri reges ac magnates, sed Deo, à quo si derelictus fuerit, nihil valet ipse per se efficere. Qvid enim sumus ex nobis, nisi pulvis & cinis, & omnes servi inutiles, etiamsi ad unguem nobis imposita præcepta servemus, qvoniam, qvod debuimus facere, fecimus? At vero non solum non servamus, sed qvotidiè Domini præcepta transgredimur, & qvasi nihil fecerimus, id existimamus. Nonne ergo omnium admirabilium admirationem hoc vincit, quod

quod reperiuntur inter Christianos, qvi iisdem mediis se cælum posse conscendere putant, quibus olim Lucifer cælo decidit, humilitatis vestes in superbiæ & ambitionis stolam convertentes? Interdum qvoq; bona non petita à Deo tribuuntur, ut peripsa, qvæ accepta sunt, ea, quæ nondum donata sunt, qværantur. Donat ille omnibus, & operatur occultè, & quod donat, verè dat, nec unqvam repetit, nisi nos illud nostra culpa amittamus, sed servare & non amittere paucorum est. Vincere animum, cohibere iracundiam, repugnantesq; sibi invicem leges carnis & mentis in unum cogere, non nostrarum virium esse existimemus, sed divinæ virtutis beneficia agnoscamus. Ut autem bona opera, qvæ in fide fiunt animi nostri intentionem dirigente & rectam faciente Deo grata & accepta sunt, in æterna vita mercedem habitura, si fiant ex mandato Domini, ita malis operibus gratia, fides, & Spiritus Sanctus excutiuntur, nisi

rursus convertamur, ac per Christum veniam precemur. Non enim ideo Christus sudavit sangvinem, aut ideo pertulit peccata nostra super lignum in corpore suo, ut homines furentes suis cupiditatibus indulgeant, sed justitiæ vivant, cujus livore sanati sunt, & Spiritui Sancto arguenti mundum de peccato reverenter sese subjicientes illi obediant, suaq; opera Deo conformia effici patiantur. Proprium hoc habet nova creatura qui figmentum Dei sunt, qui nativitate cælesti conduntur in Christo, ut non ocio torpeant, nec desidia resolvantur, sed de virtute proficiant per viam bonorum operum ambulando. Non enim dormientibus, neq; ocium amantibus, sed vigilantibus & laborantibus præmia & labori merces parata est, & cælum est præmium, quod nemo aufert, nisi qui sibi vim infert. Prava concupiscentia oculorum, carnis voluptas, & superbia vitæ qvotidiè in homine debellanda, ut fiat filius Dei, ovis Christi,

sti, templum Spiritus Sancti, & bona arbor sponte sine lege & coercitione cum gaudio, charitate, ac voluptate bonos fructus progerminans. Sanctæ vitæ ratio assiduitate & continuatione gaudet, torpescit desidia. Recentibus virtutum incrementis mens studiosè est instauranda, & iter vivendi non ex transacto, sed ex reliquo metiendum. Pridiè cavendum ne faciamus, cujus nos pigeat postridiè: Omnis vero jactura turpissima censenda, quæ fit per negligentiam. Qui habent, augetur illis, qui non habent, etiam quod putant se habere, auferetur ab eis, ut sunt bona fama & virtutum fucata ostentatio, ubi eorum falsa vita, & corrupta interius mens manifestabitur & publicabitur coram sanctis & Angelis Dei. Talis hypocritarum erit finis vitia sua sub earum nomine virtutum, quarum speciem illæ mentiuntur, venditantium. Qui vero bonam vitam & conscientiam habent, dabitur illis, & augebuntur, ibunt de virtute in virtu-

tem. Initium vitæ ſpiritualis facientes oportet in ſtatera conſiderationis præponderare, quæ in hac vita ſunt, & quæ in futura erunt. Qui hoc non facit, jumentis comparatur, & ſimilis eſt illis. Gratia autem incipimus ſeparare pretioſum à vili, carnem à ſpiritu, mortem à vita, ſeculum tranſiens à felicitate perpetua. Si in illa meditatione progrediamur, neq; defatigemur, tempore ſuo metemus, & de virtute in virtutem proficientes Deum videbimus. Dominus Deus aperit nobis aurem, noſtrum eſt non contradicere, neq; retrorſum abire, ſed ſemper in timore Domini vivere, qui debet eſſe regula & cynoſura omnium actionum noſtrarum, ut miſericordiam conſequamur. Mundum timentes trepidant, ne terrena amittant. Deum timentibus, & veris Chriſti ſectatoribus nihil deeſt. Nam Deus labores & dolores ſe timentium reſpiciens miſeretur, & præſtat affluenter omnibus in hoc & futuro ſeculo. Qui Deum non timent,

timent, delassantur in viis iniquitatis suæ, minuuntur dies illorum, & tandem deducuntur in puteum interitus sempiterni. Timor autem Domini cavere præcipit, ne in eo, quod malè delectat vel visio nostra, vel cogitatio remoretur, neq; dicamus, neq; faciamus, quod non licet, etiamsi libet, neq; aliquo signo vel facto Deum offendamus, qui ubiq; præsens omnia cernit, quæcunq; molimur aut gerimus, & renes ac corda nostra scrutatur. Neq; enim possumus eum refugere, si offendimus, nec fallere, si delinquimus, nec amittere si colamus. Quanto plus malitia occultatur in corde, tanto plus abominatur Deus cor hominis, qui se à nemine videri suspicatur. Si fatetur Deum cor videre, tanto abominabilior est, talia in corde versans Deo vidente, quæ si viderentur ab hominibus, à cordis intimo secreto amoveret, ne hominibus abominabilis appareret. Non excludit cor clausum oculum Domini, nec manum ipsius

pſius repellit duritia noſtra, ſed ſolvit eam, cum vult, aut miſerans aut vindicans, & non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus, aut irato auſit obviam ire. Si vero convertimur, & quærimus ipſum, confitentes peccata noſtra & projicientes nos in ipſum, ecce ibi eſt in cordibus noſtris, & reficit, & conſolatur nos. Nunquam minus ſoli ſumus, quam cum ſoli ſumus, tum maximè expoſiti diaboli inſidiis. Ne quid in nos poſſit, ſi nos ipſos non erubeſcimus, Deum vereamur, cujus potentia conditi ſumus, cum nihil eſſemus, cujus bonitate reſtituti ſumus, cum periiſſemus, cujus ſapientia gubernamur & conſervamur, ne revolvamur in exitium. Cum illo ſemper erimus ſecuri, ſi tales nos præparaverimus, ut ille nobis adeſſe dignetur. Mente qui pura Deum venerantur, iis, qualecunq; vitæ inſtitutum amplectantur, dux adeſt ſemper Deus, rectorq;, & omnes actiones illorum proſperat. Deo vero faciem ſuam avertente de malo in malum

ruentes

ruentes nos Sathanas captivos ducit, & ad tristia scelera impellit, quæ sunt opera tenebrarum refugientia lucem & oculos hominum, ut damnationi obnoxios secum ad Gehennam trahat. Faciamus ergo potius, quæ Deus nobis mandavit, dum tempus est, ut ille nobis adsit, & præmium reddat vitam æternam, quam ut cum Sathana æternis tenebris nos involvamus. Sacrificemus & offeramus Deo munera nostra, qui nobis dat, quod offeramus ipsi: quoniam bonus est, & in seculum misericordia ejus. Fugiamus & relinquamus adversarios nostros transgressores angelos, qui nihil nobiscum commune habent præter peccatum, unde & ipsi & homines damnantur.

De Spe & Charitate.

Caput XIX.

EX præmissa fidei cognitione nascitur bona spes fidelium, quam sancta charitas comitatur. Fide cognoscimus

mus ſummum bonum eſſe bonum ſe communicans, ex illa cognitione duæ affectiones oriuntur, ſpes ex illo, quod cognoſcitur liberaliſſimus dona ſua communicando, & deſiderium ex eo, quod cognoſcitur bonum, quo nihil majus deſiderari poſſit. Harum virtutum indiſſolubilis eſt nexus, neq; una ſine altera eſſe poteſt, & verſantur in rebus æternis promiſſis à Deo, quas fides apprehendit ſub ratione promiſſi, ſpes ſub ratione boni, & ſine amore eſſe non poteſt, nec fides quicquam ſine eo prodeſt, propter quod Charitas inter has virtutes fuſiſſimè & longiſſimè ſe porrigit. Quemadmodum fides recipit augmentum, ita & ſpes & charitas ſingulis diebus bonis operibus & piis precibus creſcunt. In beatis vero charitas non augetur, neq; fides & ſpes ſunt in illis, quia, quod crediderunt, vident, &, quod ſperaverunt, poſſident. Spes veluti miles & propugnator quidam utriusq; eſt, in omni tentatione & mediis malis fortiter perſtans. Patientia

tientia ejus effectus. Quod enim speramus, per patientiam expectamus, & humilitas patientiæ indicium est. Si pia fiducia in Deum recumbimus, promissis ejus haud dubiam fidem habentes, spem quoq; nostram collocamus in Deo, qui nobis omnia præbet affatim, & nos nostramq; observat salutem. Quantumcunq; sæviat mare, furore excandescat seculum, irati debacchentur homines, omissa carnali fiducia nostrarum virium, munitionum, confæderationum, divitiarum, semper sperandum in Domino, qui nobis adversus omnes hostes tutissimum refugium ac propugnaculum est, & justa ac necessaria modestè agentibus patronus atq; defensor existit. Etsi nonnunquam propter gloriam divini nominis sui aut peccata nostra manum retrahit, & faciem abscondit, neq; sublevat & eruit nos de necessitatibus corporalibus, non tamen æterna beatitudine privat, & in fine derelinquit in se sperantes. Impossibile est, ut à

ſcopo aberrent, qui tota mente in Deum ſperant, & ſua pro virili agunt. Maledictus vero omnis, qui ſpem ponit in homine, atq; per hoc in ſemet ipſo, & pecuniæ ſuæ theſauris. Nam qui vel hoc vel illud facit, hujus maledicti vinculo innectitur. Anima noſtra cunctis, quæ cæli ambitu continentur, creaturis nobilior, Chriſti paſſione & morte redempta, & cor noſtrum domicilium ac templum Spiritus Sancti, ſive Camera Omnipotentis Regis tantæ ſunt dignitatis, ut nullum bonum præter ſummum eis ſufficere poſſit. Ideo in ſolius Dei bonitate ſperare, & ab ipſo, poſtpoſitis creaturis & terrenis, à quibus in morte deſerimur, petere debemus, quicquid ſperamus nos vel benè operaturos, vel pro operibus noſtris adepturos. Omnia illa bona, quæ nos ſpecioſa, ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaq; complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupeſcit, cum labore poſſidentur, cum invidia

vidia conſpiciuntur, eosq; ipſos, quos exornant, premunt, & plus minantur, quam proſunt. Qui in illis confidunt, in vanitates & inſanias falſas reſpiciunt, quoniam falſa ſunt omnia tranſitoria. Quamvis in ſe aliquid ſint (nam corpus habent, & pretia ſua) nobis tamen nihil ſunt, quia dormierunt ſomnũ ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Spes autem noſtra non cujuslibet boni, ſed cæleſtis firma & patiens expectatio eſt, neq; ad hoc ſumus Chriſtiani, ut terrenam nobis felicitatem & fallacia tantum ac caduca hujus vitæ bona petamus, quæ plerumq; etiam ſcelerati habent, & præter nomen ſolum nihil felicitatis in ſe continent. Speramus illa, quæ Evangelium nobis promittit bona ſcilicet cæleſtia & æterna, quæ gratuito nobis per & propter Chriſtum ſunt promiſſa, licet nondum data, danda tamen quandoq; & nunquam tranſitura. Speramus & expectamus à Deo auxilium, hoc eſt, mitigationem

aut liberationem in omnibus ærumnis & malis nostris, secundum ejus beneplacitum ac voluntatem, semper certi de ultima liberatione nostra, etiamsi non semper respondeant cupiditatibus nostris eventus. Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium, & omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Spe retinemus & vitam & justitiam res ab oculis & sensibus nostris absconditas, sed quæ suo tempore manifestabuntur. In media morte spem tamen vitæ habemus sic docente, jubente, & promittente verbo. Deus enim est Dominus exitus mortis, qui liberat oppressos à morte, & transfert in æternam vitam, quam constanter expectantes salvabimur. Christus suo merito peccatum abolevit, mortem sustulit, & justitiam reddidit, in illa spe si vivimus & morimur, propter eam spem sumus justi & sancti. Promissum autem à Christo perpetuæ felicitatis tempus non sperantes venturum,

turum, frustra in Christum credunt. Quemadmodum anchora tenet navem, ne à fluctibus maris abripiatur, ita spes anchora salutis nostræ nos peccatores tutos reddit, ut confidenter mori, & vitam æternam consequi possimus Propterea quicunq; cupit tranquillare animum suum, speret in Deum, qui solus spe certa pectora firmat, illiq; constanter fidens futuri dulcedine se impleat, ad quam, quicquid suavitatis in orbe est, levis gustulus est, & ponat Jesum ut signaculum super cor suum, & ipse tranquillitas, pax, & requies tranquillabit omnia. Bis terq; beati sunt, qui Dominum spe solida colunt, soli veram pacem & quietem possidentes. Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta est via & regula, per quam ad Dei gloriam, quæ est finis omnium & præceptorum Dei & actionum nostrarum, deducimur, & quo purior, ardentior ac uberior est, eo propius ad divinam naturam accedit, cum in Deo

Patre, Filio & Spiritu Sancto charitas sit purissima & ardentissima. Pura & ardens est charitas, si omnes actiones nostras ita dirigamus, ne quid agamus aliud expectantes, aut alio præmio ducti atq; allecti, quam ut diligamus Deum & proximum non verbo neq; lingua, sed opere & veritate, in hac & per hanc nobis invicem servientes. Nam quod fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam Spiritus Sanctus diffundit in cordibus nostris, non fit, quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur, Cum Deo uniri non possumus nisi per charitatem, nec ei subiici nisi per humilitatem, nec verè humiles esse, nisi per veritatem. Expedit ergo, ut in veritate nos discutiamus & cognoscamus, quam viles, quam labiles, quam fragiles simus. Quo facto, necesse est, ut Deo inhæreamus, per quem sumus, sine quo nihil sumus, nihil facere possumus, à quo omnia habemus, & in fi-

ne

ne præmium expectamus vitam æternam. Ideo hominis amor ordinatus est ad Deum, qui amandus propter se, & supra omnia, cum in infinitum melior sit omni creatura, & unicus beatitudinis author, quæ non nisi in ipso haberi potest. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus propter Deum, quia æq; ad Deum amandum creatus est. Deus ex toto corde, ex tota anima, & tota mente amandus est, quod non est plenè & perfectè amare (neq; enim possumus perfectè amare in hac vita, quem non perfectè cognoscimus) sed ex animo duntaxat & sincera mente illum amplecti, non eo saturum esse, sed ardenti affectu, esurire, sitire, & ad eum adspirare. Deus in quantum intelligitur, diligendus, & quantum diligitur, semper in memoria habendus. Non sufficit intellectus, nisi quoq; accedat voluntas, neq; hæc duo sufficiunt, nisi & memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat

Deus.

Deus. Sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei misericordia, & bonitate, ita nullum quoq; debet esse momentum, quo illum non habeat in memoria. Qui sic verè diligit Deum, vitam habet in patientia & mortem in desiderio, cupiens se dissolvi, & esse una cum Christo. Amor enim ex Deo natus non potest nisi in Deo super omnia creata quiescere. Proximus, sicut nos ipsos amamus, quod fit, si proximo in necessitatibus suis cupidè subveniamus, si quilibet obediat ei, cui ratione officii obedire tenetur, si pacificè inter nos vivamus, & res nostras ita agamus, ut alteri non incommodemus. Charitas illa, qua Deum diligimus, est ipsa fides nostra, quæ sine charitate proximi nihil prodest: dilectione vero mundi marcessit. Ubi cor nostrum est, ibi & thesaurus noster est, & qualis amor noster, tales ipsi sumus. Si carnalia amamus, carnales, si mundum, mundani, si Deum & divina diligimus,

effici-

efficimur divini. Nam amor noster nos in se transmutat, ut amor & res amatæ fiant unum, & nemo summi boni fit particeps, nisi qui amat, qui quærit, qui desiderat illud, cujus amore furere, unica sanitas est. Ponderibus suis omnia aguntur non ad ima tantum, sed quæq; ad locum suum. Pondus nostrum amor noster, eò ferimur, quocunq; ferimur, & Spiritus Dei bonus exaltat humilitatem nostrã de portis mortis, & in bona voluntate pax est nobis. Caro nostra quærit esse deorsum, sed Spiritu Dei accendimur, & sursum ferimur. Igne Dei bono inardescimus, & sursum imus ad pacem Hierusalem, in domum Domini. Ibi nos collocat voluntas bona, ut nihil aliud velimus, quam ibi permanere in æternum. Plenitudo & consummatio legis est dilectio. Nam tota lex imo tota scriptura docent nos, à quibus rebus amorem cohibere, & quo eum conferre debeamus. Per continentiam colligimur à dispersione,

in

in qua frustratim discissi sumus, & redigimur in unum, à quo per multa defluximus, ut unum spectemus, uni adhæreamus, unum vindicem salutis agnoscamus, unum veneremur, precemur, atq; laudemus. Per justitiam jubemur Deum non dubia sed certa conscientia amare, quia ipse fecit nos, & levi de pulvere alit creatos & regit: omnia vero alia in ipso & propter ipsum. Plus omnibus laborat, qui Deum sincere amat, & proximum propter Deum. Qui Deum non amat, inaniter credit & sperat, sicut diaboli, qui credunt & contremiscunt, & qui proximum, quem videt, non diligit, neq; Deum, quem non videt, potest diligere. Nam dilectio proximi in speciem dilectionis sui à Deo nobis injuncta dilectionis Dei probatio est, qui creavit magnum & parvulum, & vult, ut ille magnas gratias agat de donis suis, & hunc non despiciat. Solvendum cuiq; quod debemus: sola charitas non desinat deberi, non sit finis

nis benè merendi, perpetuò mutua habenda dilectio. Ubi charitas & dilectio est, ibi sanctorum est congregatio, ibi nec ira est, nec indignatio, sed pax, firma charitas in perpetuum, atq; multorum peccatorum, quæ alii patrare solent, abstinentia. Dilectio enim alteri non faciens, quæ sibi non vult fieri, proximo malum non operatur. Crescit & corroboratur in nobis charitas non violatur, si quando cum vitiis nostris litigamus, affectibus bellum indicimus, & quicquid Deo inimicum est, non amore sed odio prosequimur. Deus enim charitatis fundamentum est, cui quicquid inimicum, idem & nos odisse oportet, etiam propriam nostri partem. Quisquis se ipsum, non Deum amat, non se amat, & quisquis Deum, non se ipsum amat, verè se amat. Nam amor propri⁹ & sui ipsius ad contemptum usq; Dei progrediens, inordinatus, caducus, & instabilis, causa, radix ac fomes omnium malorum, vera pace ac lætitia nos privat, & in

morte

morte desinit. Amor vero Dei illi confidens, firmus ac stabilis pacem, lætitiam, ac veram consolationem affert, & vitam nobiscum ingreditur æternam, ubi, quem in hac vita in speculo verbi quæsivimus, amavimus, & laudavimus, sine fine de facie ad faciem videbimus, amabimus, laudabimus & cognoscemus, prout cogniti sumus. Sicut nemo duobus diversis dominis servire potest, ita neq; cor nostrum duobus amoribus possideri. Amatores carnis amorem Spiritus non capiunt, & amatores hujus seculi cælestium bonorum desiderio non tanguntur. Nihil enim commercii veritati est cum mendacio. Omnia vera sunt, in quantum sunt, nec quicquam est falsitas, nisi cum putatur esse, quod non est, & pro vero apprehenditur. Quicquid homines amant, etiamsi falsum sit, quod amant, volunt tamen esse veritatem, & quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint, sed ab omnibus hominibus pro veris haberi, quæ ipsi

ipsi vera esse existimant, omnesq; mortales illud sequi, quod ipsi sequuntur. Qui autem aliud amant & sectantur, quam ipsum verum, verum gaudium, quod est ad Deum, de Deo, & propter Deum, licet ab aliqua imagine gaudii voluntas eorum non avertatur, non habent. Nam verum gaudium non datur impiis sed eis, qui Dominum gratis colunt, quem amare & de illo gaudere est ipsa beata vita, & non altera. Gaudentes hujus seculi nequam illecebris & vanis negotiis pereunt una cum illis. Qui vero, nulla interpellante molestia, de ipsa, per quam omnia vera, formosa & luminosa veritate gaudent, verè sunt beati. Vita quippe beata gaudium est de veritate, gaudium de Deo, qui veritas est, &, si amamus beatam vitam, utiq; etiam amanda est veritas, quam non amamus, nisi noverimus, & notitiam ejus in memoria nostra habeamus. Idcirco Christi charitas, quam erga genus humanum redi-

redimendum habuit, planè admiranda, inæstimabilis, & in hac vita incomprehensibilis altius à nobis inspicienda, & animo quotidiè volvenda est, sanans tumorem & amorem nostrum, ne fiducia nostri progrediamur longius, videntes infirmam divinitatem ejus participatione naturæ nostræ ante pedes nostros, sed lassi prosternamur in eam: illa autem surgens elevet nos. Christus nostri causa se humiliavit, nostram naturam & similitudinem assumpsit, & Patri obediens factus usq; ad mortem crucis dedit nobis exemplum humilitatis ac obedientiæ. Per Christum fons gratiæ apertus est, & effusus in homines, humana natura nobilitata, divinæ unita, & super Angelos, ipsos à Christo evecta. Diabolus victus, dejecta hominis superbia, qua à Deo recesserat, peccati gravitas & enormitas demonstrata, Dei gratia in salvandis hominibus patefacta, carnis resurrectio redemptis promissa ab ipso redemptore prænonstrata, vita æter-

na

na restituta, & quid ille nobis facere debuit, quod non fecit? Faxit Deus, qui nobis misit Filium suum, ut ad hanc charitatem intelligendam quotidiè magis magisq; adspiremus, & in Christo omnia habeamus, qvæ reqviruntur ad nostram in Deo perfectionem ad carnis nostræ resurrectionem in vitam æternam, vasa misericordiæ non pro meritis nostris, sed Deo miserante per Christum, ejus passionem, ac mortem liberati. Sic amantem diligamus, & amoris vicem reddamus, omnes in ipsum sensus & actus dirigentes, ita ut nullus in nobis adulterinis amoribus pateat locus, & debito semper honore magnum hoc pietatis mysterium venerantes. Nomen ejus semper sit dulce ac suave affectui nostro contra malas utiq; vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedinem dulcedo, sicut clavus clavum trudit & expellit. Christus solus sufficit amantibus, & amans Christum anima præ Christo despicit universa. Nemo autem diligit Christum, nisi qui

etiam

etiam diligit proximum suum. Fructus Spiritus est Charitas, & uti Deus nos dilexit, ita & nos debemus mutuò nos diligere sectantes veritatem cum charitate. Qui enim diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum non est in eo. Qui odit fratrem, odit Deum, qui homo propter hominem dignatus est fieri & se ipsum impendit, ut hominem recuperaret non tam sibi, quam homini ipsi. Mercem ergo sanguinis Christi non diligit, qui fratrem non diligit, & non ignoscit peccanti, in quem & ipse subinde peccat. Mutua hæc potius veniæ permutatio est, quam vera ignoscentia. Christus, cum Dominus esset, frater noster factus amore nos prævenit, & dilexit prior, cum adhuc inimici ejus essemus, neq; id desideraremus, neq; cogitaremus tale quid fieri posse, & à peccato in munis pro parricidis in cruce cælestem Patrem deprecatus est, ut ignosceret eis, & redemit nos sanguine suo, & reconciliavit cælesti Patri. Nobis quoq;

quoq; diligere inimicos nostros, & benefacere his, qui oderunt nos, & orare pro salute persequentium ac calumniantium nos ad exemplum suum serio præcipit. Vult, ut peccatis ipsi obnoxii lædentibus nos veniam demus, neq; injuriam ab aliis nobis illatam ulciscamur, sed comprimentes æstus iracundiæ pro convitio sermonem amicum, pro maleficio beneficium rependamus, & pro malis bona reddentes Deum solum vindicem agnoscamus. Est hoc revera animi excelsi, magni, & divini injurias condonare, ferre convitium & non referre, lædi ac silere vel jocari. Nam facilius est carnis remittere delicias, quam vindictam, quod illæ in carne suas radices habent, hæc in anima. Animi sui virtutem ostendit, quem damna & contumeliæ non movent, & conscientia manifestat qua objecta recognoscit, & ut aliena ridet. Deus ipse lenis & blandus, bonis & malis dare dona largus, tardus irasci, & cum irascitur,

tur, tranquillus, nec sempiternæ sæviens offensæ memor, aut perennes ardens in iras, semper ad reconciliationem pronus est. Christus inter tormenta gravissima & cruciatus immensos non aperuit os suum. Nec alia de causa Spiritus Sanctus in forma columbæ apparuit, quam ut mansuetudinem, lenitatem, & simplicitatem morum nos doceret. Origenis ergo nostræ memores, mites, ac benefici simus, amemus etsi non amemur, toleremus etsi non toleremur, benefaciamus etsi nunquam nobis benefiat, & quo magis homines nos persequuntur, eo magis eorum salutem prosequamur. Veterum philosophorum longè alia doctrina fuit. Nam & ultionis exactionem in virtutis parte posuerunt, & servilis ac stolidi hominis existimarunt, non ulcisci illatam injuriam. Lex quoq; Mosaica dolorem suum talionis lege exequi permisit. Sed perfectissima lex Christi injuriam sive verbis sive rebus factam reponere prohibet, ne

quam

quam in aliis improbamus malitiam, eam nos rursum probemus imitando. Vestimentum, quo rex induitur, à subditis in magno habetur pretio, & magnates simili vestiri amant. Sic Christus in se suscipiens paupertatem, patientiam, & inimicorum amorem magnum his virtutibus tribuit pretium & decus, & cum antea vilipenderentur, nunc factæ sunt christianorum ornamenta. Qui iis ornari erubescunt in hoc seculo, Christus erubescet eos curare & recipere coram Angelis & Patre cæleſti, propterea quod erubuerunt secundum Evangelium vivere, & à vera charitate aberrarunt Nam rectè constituta & ordinata charitas non incipit inter christianos à se ipsis, sed à Dei gloria, cujus ratione diligendum, quicquid diligendum, & nihil diligendú, quod non diligatur propter Deum. Sive læta sive tristior sors venerit, à Deo illam proficiscí grato animo agnoscendum, & quisq;, quò est selectius & melius Dei organon, eò plus à

nobis diligendus, cum Deus ipse nos solummodo propter eam partem diligat, cujus originem à divino spiritu deducimus. Propter Christum, & in ipso omnia creata, & tam amici quam inimici diligendi sunt, & pro his omnibus exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant & diligant. Si hoc modo dilectionem secundum seculum cum vera charitate commutemus, & ex illa amorem nostrum erga uxorem, liberos, proximum, nos ipsos, & omnia negotia nostra derivemus, nemini suum auferamus, sed omnibus benefaciamus, filiorum nomen, honorem, & dignitatem nobis promittit Dominus, & multam magnamq; mercedem in cælo. Nemo tamen conscientiæ suæ confidens tenetur negligere famam suam, ne injustam sibi imponat culpam, neve aliis scandalum generet, cum illum sceleris cognoverint authorem, quod nunquam perpetravit. Qui vero alienæ famæ non parcunt, nec famæ suæ nec vitæ parcunt, neq; unquam quieto

in

in otio degere possunt. Nam Deus sine fine premit impios justis pœnis, haud mitiores atris anguibus vibrantes virulentam linguam, & ore rabido vomentes venenum, linguæ pestilentis virus in eorum exitium refundens, qui dolis, probris, rabidisq; vexant litibus orbem.

De Eleemosynis & jejunio.

CAPUT XX.

FIrma radix fidei flores bonæ spei progerminat, & charitatis fructus producit. Ut autem charitatis opera fidei fructus sunt, & effectus, ita Eleemosynæ charitatis sunt fructus, & propter causam primariam, unde nascuntur, fidem scilicet, Deo commendantur: non autem ipsæ per se, cum nulla opera nostra coram Deo sint ullius dignitatis, nedum satisfactio aut pretium pro peccatis nostris. Propterea illi, qui scelerate vivunt, nec curant talem

vitam moresq; corrigere, & inter ipsa flagitia ac facinora Eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi in eo blandiuntur. Non minus peccant politici, qui Servatoris nostri immemores, nec Rempublicam Christianam satis intelligentes civitatem pauperibus vacaturam moliuntur. Est autem Eleemosyna opus justitiæ & misericordiæ, per quod egenti subvenimus, sive quo misertus pauperis & inopis vir bonus ejus succurrit indigentiæ subsidio rei, vel usu pecuniæ, vel operum collatione, quæ plerumq; illis splendidior est. Præcipit nobis Deus, ut aperiamus manus nostras fratri egeno & pauperi, & Christus nos hortatur ad Eleemosynam dandam, cum inquit: date Eleemosynam, & erunt omnia munda vobis. Mutuus quoq; affectus nobis à Deo inditus & petere auxilium & præstare nos jubet, nec minus est criminis habenti tollere & eripere, quam, cum possis, indigentibus non dare. Cum enim Deus terram suam

omni-

omnium hominum possessionem esse voluerit communem, & omnibus fructus ministrare, sed avaritia possessionum jura distribuerit, justum est, ut, si tibi quid privatum vendicas, quod generi humano, imo omnibus animantibus collatum est in commune, saltem aliquid pauperibus inde adspergas, & quibus tui juris consortium debetur, & via salutis æq; expedita patet, his alimenta non deneges. Bonorum probrum est, virum probum egere necessariis, & in Ecclesia nemo dives est, nisi qui pauperibus dives est, & cui, unde benefaciat, suppetit, nec facilè tam pauper quispiam reperitur, cui mens liberalis & ingenua non aliquam benefaciendi viam & liberalitatis materiam inveniat etiam inter angustias paupertatis. Quot enim modis alteri benefacere licet, tot modis charitatem exercere possumus. Parum proficit, qui habet quod det, & alteri non prodest, cum poterit. Misericordes nos esse vult Christus, sicut Pater noster in

cælis misericors est, tribuens bona bonis & malis, dignis & indignis, gratis atq; ingratis. Ita & nos oportet non solum condolere ærumnosis, sed etiam sublevare hominum afflictorum miseriam & egestatem. Maximus honos nobis erit in novissimo die, si parentem cælestem imitati fuerimus non quidem in creatione aut miraculis edendis, sed in operibus dilectionis & misericordiæ exercendis, expectantes ab illo retributionem, quam recepturi sumus largissimam. Nam Deus, qui constituit divitem, ut pauperem alat, & pauperem, ut pro divite deprecetur, & sic uterq; salvetur, omnibus, qui in obsequium ipsius substantiam impendunt, centuplum reddit, & æqvum est, ut qui misericordiam consecuti sunt, miserorum misereantur. In omnibus creaturis proposuit nobis Deus speculum charitatis. Sol & sydera non sibi sed nobis lucent, aër, aqua, terra, bruta, & omnes creaturæ nobis inserviunt, & nemo nostrum diligit Chri-

stum,

stum, qui proximo debitum denegat officium. Divitiæ dispersæ exponentem non relinqvunt, retentæ & concluſæ etiam se servantem secum perdunt. Judicium enim sine misericordia dabitur illis, qui non faciunt misericordiam. Si quis igitur victu indiget, impertiamur, supplicanti succurrere ne abnuamus, si quis à potente injuriam sustinet, eruamus. Pateat domicilium nostrum peregrinis & tecto indigentibus. Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. Redimere ab hostibus captivos, & virgines orbatas parentibus connubio locare, magnanimi opus est, item ægros, inopes visitare & fovere. Pauperes, si obierint, non patiamur insepultos jacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ inprimis proximis seminis & generis nostri, quibus pudori est, ab aliis sumptum deposcere, præstanda, & pulchrum eorum rationem haberi, qui nobis aut beneficium aut munus contulerunt, si ipsi in necessitatem inci-

dant. Beneficium qui dat, vult accipi gratè. Habet quod voluit, si benè acceptum est. Ingratus est, qui beneficium se accepisse negat, ingratus qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est. Eleemosynam quoq; præstat, qui consilio juvat, qui emendat verbere, in quem potestas datur, absq; tamen ulciscendi animo, & qui alteri peccatum à quo læsus est, dimittit, vel pro eo orat, ut ei dimittatur. Nonnunquam invitum qui servat, non voluntati ejus, sed utilitati consulens. Remittere aliquid & relaxare de jure suo, non solum liberalitatis, sed etiam plerunq; commoditatis est, & bono viro non indignum. Summum enim jus sæpe summa injuria est. Qui convertit peccatorem ab errore viæ suæ, salvat animam ejus, & operit multitudinem peccatorum suorum. Optima omnium Eleemosyna hæc est, quam nobis ipsis damus, si homo misereatur vitæ suæ, ut eam in melius commutet,

mutet, agnoscendo Dei judicium mortem æternam propter peccatum originale nobis justè infligentis, quod agnoscere summa est misericordia & Eleemosyna, ut evitemus, & charitatem Dei, ut eam diligentes piè sanctèq; vivamus, & verè ad Deum nos convertamus, magnæ charitati ejus gratias agentes. Illa omnia facienda, & interim quotidianæ Eleemosynæ bonorum & fructuum nostrorum non omittendæ aut negligendæ. Mutuat enim Jehovæ eligenti contemptibilia mundi, & humilia respicienti in cælo & in terra, qui gratiosè largitur tenui. Quod ejus amore datur, non minuitur, sed multiplicatur. Optimus ille mercator censendus, qui dat, quod non potest retinere, ut recipiat, quod non potest amittere, dans modicum, ut recipiat centuplum, dans temporalem possessionem, ut consequatur æternam beatitudinem. Cui multum fuerit, is non habentibus abundanter tribuat, cui exiguum fuerit, illud quoq; li-

benter impartiri studeat. Qui non dat, sed promittit, ita promittat, ut promissa perficiat. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Qui non habet, quod det, affabilem tamen & mansuetum se præstet: Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Cuicunq; indigenti & petenti dandæ sunt Eleemosynæ, non eligendæ personæ, non membra inspicienda, sed Christus in pauperibus suis considerandus, & pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putat. Tantum dandum, quantum dare juste & honeste possumus ex eo, quod juste & nostris laboribus partum habemus. Eleemosyna cum iniquitate conjuncta abominabilis est coram Deo, & facere eleemosynam de alieno, species furti est. Sic eorium furari, & calceos egenis dividere, eleemosyna patibulo digna est. Nam bona intentio nunquam mala opera justificat, nec bona religio flagitia excusat. Largiendum eo consilio, ut

prosis,

prosis, non ut noceas. Luxurioso ad luxuriam & profusionem, & adultero ad adulterii mercedem dandum non est: officere istud esset, non prodesse. Ubi enim non est benevolentia, ibi neq; debet esse beneficentia, quod neutra sine altera esse potest. Pauperes injustè petentes moneri debent, non despici, & dari illis panis refectionis cum verbo correctionis, ut duo alimenta percipiant, qui unum tantum quærebant. Quisquis vero pascendo hominem servare potest, & non pascit, occidit. Cæterum cum præstamus Eleemosynam manus sinistra nesciat, quid boni agat dextera, ut Eleemosyna sit in occulto, & Pater cælestis, qui operta videt, remuneret eam in aperto. Qui ut videatur, vel spe mercedis Eleemosynam facit, jam suam mercedem recepit, & qui invitus benefacit, etiamsi bonum sit, quod facit, beneficius esse non intelligitur. Proprium autem est libenter facientis, cito facere, tardè velle, no-

lentis. Auctio est, non beneficium, dare, ut tantundem reddatur. Nam veræ Eleemosynæ causa est charitas, quæ non verbis aut lingua, sed re ipsa & spontanea præstatione auxilii se profert ac demonstrat, non spe mercedis, neq; propter gloriam populi captandam, sed ut Deo eam fieri jubenti pareamus, & quicquid hujus facimus ex animo faciamus, non ejus causa, qui rogat, sed ejus qui jussit. Hilarem datorem diligit Deus, & magis offerentis affectu, quam ipsis muneribus placatur, neq; prodigos nos vult esse, & ingratos donorum ipsius profusores, sed liberales. Ad tabernaculum Domini unusquisq; offerebat, quod poterat, alius aurum, gemmas, argentum, alius pelles & pilos caprarum. Omnibus his opus habebat Dominus, & placebat voluntas æqualiter eorum, qui inæqualiter offerebant. Eleemosyna vero pauperis viduæ in Gazophylacium duos obulos ex penuria victus sui mittentis à Christo cor respiciente præ-

præferebatur omnium divitum Eleemosynis multo plura inferentium ex eo, quod abundabat illis. Si & nos non neglexerimus offerre quæ possumus, Dominus non despiciet nostra quantumvis parva & paucula munera. Non enim in Eleemosynis tam quæritur datum, quam requiritur fructus. Datum significat rem ipsam, quam dat, qui impartitur necessaria, veluti est nummus, cibus, potus, adjutorium: fructus autem bona & recta voluntas datoris est. Nullius manus vacua poterit esse à munere, cujus arca cordis plena fuerit bona voluntate. Pauperes qui Eleemosynis victitant, & mendicando stipem quærunt, si uno die multorum labores bibant, & inter inebriandum tunicam non habentes regnare sibi videantur, non misericordia, sed pœna digni sunt. Ut enim avaritia & luxuria divitias infamant, liberalitas & temperantia naturæ ipsi & divinæ legi conveniens, quæ in ipso rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum

rum esui dedit, commendant: Ita paupertatem sanctitas & innocentia ornant, nequitia & profusio gravant. Illi demum pauperes qui credunt in Christum, paupertatem patienter tolerant, sceleribus abstinent, à Deo victum & amictum, & à seculi hujus illuvie liberationem suo tempore expectant, in æternum divites erunt, & divites credentes illis consociabuntur, quos in hac vita amicos sibi adjunxerunt. Divites vero, qui pecuniam in pretiosas vestes, vasa, supellectilem, & opipara convivia, ad quæ amici invitantur, ebrii ut inimici dimittuntur, & nihil agunt, nisi ut videantur, & ex bonis suis laudem ac voluptatem capiant, pauperibus nihil dantes, in æternum inopes erunt, & amicos non invenient. Odit enim Deus, ac evertit funditus, qui sepositò Dei timore & dilectione proximi Gazis suis malisq; fidunt artibus, & unicè student, dum licet, blandæ illecebras caducas carpere vitæ, & per fas nefasq;

quam

quam plurimum in hoc seculo corradere, & opera eorum mala cum testes erunt in novissimo die incredulitatis ipsorum, tum simul causa perpetuæ damnationis. Sancti interea & justi ceu virentes olivulæ Domini in agello consitæ, freti spe cælestis indulgentiæ usq; & usq; florent, & divitiæ, honores, opes, quas possident, sunt illis materia virtutum, & æternæ felicitatis typi ac symbola, & bona opera testes fidei, per quam apprehendent vitam æternam. Sic humiles, qui divitias bene possessas habent, possunt pauperes spiritu vocari, & superbos, qui incedunt cooperti auro & argento, sed spiritus non est in illis, foris nitidi splendore mundanæ potentiæ, interius vacui elatione superbiæ, instar calamorum, vel etiam pauperes, qui nihil habent, contingit æterna beatitudine privari. Ad acquirendum enim regnum cælorum plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. Superbiens ex abun-

abundantia temporalium ægroto similis est superbienti ex abundantia medicamentorum & emplastrorum. Nam Deus gratuito nobis miseris omnia hujus vitæ subsidia confert, tanquam quædam fomenta & ligamenta nostrorum vulnerum ad necessitatem nostram, quibus in statu paradisi, ubi nec gelu, nec æstas, nec ulla aëris intemperies molestiam nobis attulissent, & herbæ seminales ac arborum fructus simplicem victum præstitissent, opus non habuissemus. Utamur ergò fortunæ bonis, non glorientur, utamur benè ad utilitatem nostram & proximi inopiam sublevandam, utamur parcè tanquam mediis necessariis depositis apud nos ac abituris, immortali anima à Deo donati, ut post miseram hanc & caducam vitam ipso omnium summo bono in omnem æternitatem fruamur. Nihil autem turpius, quam summa apud nos habere, quæ fuerunt ima terrarum, & beatam vitam in auro & argento reponere. Nam revera di-

ves

ves non est, qui multa possidet, sed qui non multis indiget, nec pauper est, qui nihil habet, sed qui multa desiderat. Qui cupit fieri locuples emat aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio. Sicut enim aurum excedit omnia alia metalla, sic dilectio omnes alias virtutes; absq; illa miserabiles sumus ac pauperes, etiamsi totius mundi divitias habeamus. Corde dilatato ambulant, qui versantur in via charitatis, veram fidem de Deo habentes, & illi soli servientes: coinquinationes autem mundi refugientes. Quibus publicarum Eleemosynarum cura demandata est, fideles esse & industrios oportet, & nullam in iis distribuendis propriæ utilitatis rationem habere. Est igitur misericordia pulcherrima virtus, ad quam aut nulla aut rara sunt philosophorum præcepta, & stoici etiam ut indignam homine sapienti eam condemnarunt. Hac virtute præditi, & illis, qui Deum timent, compatientes, opem quærentibus ex miseri-

cordia

cordia eam ferentes, sumptum indigentibus subministrantes, verè dicere possunt, se timentium Deum esse consortes. Fæneratores autem & immites, qui ex alienis incommodis sua comparant commoda, & pauperes illicitis atq; injustis usuris deglubunt & exsugunt, ut illorum sanguine sua cellaria instruant, venenum offerentes illis, qui quærunt medicinam, gladium porrigentes, qui quærunt panem, à misericordia longissimè absunt, & mammonæ potius quam Deo serviunt. Caveant sibi ab iis non solum pauperes, sed etiam divites Hi nullam petendi pecuniam mutuo, & usuras dandi patiuntur necessitatem, pauperes considerent solvendi difficultatem. Nunquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur ulcere. Sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, eaq; corrumpit, ita usuræ per omne patrimonium, & tandem totum convertuntur in debitum. Stans acerbus super caput

caput creditor, nullum diem gratis occidere patitur, & dum scrutatur arculas, dum usuram exigit, rapinam facit. Quamvis ipse nomen usuræ erubescat, lucrũ tamen usuræ non erubescit, semper alieno utens, & alieno se pascens damno. De jejunio, quod est disciplina quædam & corporis moderata castigatio in hunc finem usurpanda, ut studium rerum divinarum in nobis magis ardeat, minusq; corporis torpore studioq; voluptatũ frigescat, certum mandatum non habemus, sicut judæi, quib⁹ præfinita à Deo jejunia fuerunt, quæ proinde modis omnibus implere obligabantur. Christianis virtutis amore & libera voluntatis electione jejunandũ verius, quam ulla legis coactione. Videmus enim in Evangelicis & Apostolicis literis, & toto novo testamento, animo id revolventes, præceptum jejunium: quibus autem diebus jejunare oporteat, præcepto Domini vel Apostolorũ non invenitur definitũ. Sane Apostolos jejuniũ premisisse precib⁹, & se eo præ-

præparaviſſe, antequam ad eas acceſſerint, in Actis Apoſtolorum legimus. Eorum nos veſtigiis inſiſtentes decet in omni vita ſobrietati ſtudere, & jejunio mentis aciem hebetatam voluptatibus nonnunquam acuere, ut expeditior ad cæleſtia evolet. Jejunium Chriſti miraculoſum & nobis inimitabile adidem nos hortatur, & perpetuæ ſobrietatis ac temperantiæ admonet. Auget enim Deus gratiam ſobriæ mentis, & jejunium non ſolum cibi condimentum eſt, ſed etiam virtutis incrementum. Dulcis voluptas, & amarum jejunium: verum amara ſæpè plus proſunt corporibus, quam dulcia. Sobrietas caſtitatis mater & conſervatrix bonæ valetudinis, quam crapula & ebrietas minuunt, unaq; cor auferunt, ſemper neceſſaria eſt, ut ritè vocationis munera obire, & orationi ac piæ vigilantiæ vacare poſſimus. Jejunium non omnium temporum eſſe quivis intelligit. Utile tamen in publicis calamitatibus ſolenne ſubditis à magiſtratu

stratu edici, & in privatis à patrefamilias domesticis jejunium injungi ac demandari, quo cibo abstineant, ut preces illorum augeantur, ac inflammentur. Illud vero quadragesimale, ut & discrimen ciborum, quod ex antichristi officina proditurum jam suo tempore Apostolus Paulus prædixit, servare nullo jure tenemur. Traditionibus enim humanis & electitiis cultibus, quibus vel opinio meriti vel necessitatis affingitur, ut & rebus sua natura mediis sive adiaphoris nunquam conscientiæ sunt alligandæ, multò minus justitia in eis est quærenda. In libertate, qua Christus nos liberavit, maneamus, ne rursus jugo servitutis implicemur, & quia pretio sanguinis Christi empti sumus, nolimus fieri servi hominum. Verum hoc fortasse supervacaneum admonere, cum omnes homines videamus cibis ac populis fortes esse: infirmos vero abstinentia & jejuniis.

De

De Cruce & Calamitatibus.

CAPUT XXI.

PRopter lapsum primorum parentum & reliquias peccati hærentis in corrupta nostra natura Ecclesia Christi in hac vita Cruci est subjecta, & pii variis tentationibus vexantur. Spiritus enim immundus diabolus odio Dei sæviens in imbecillem naturam hominum obambulat, & quærit, quem devoret, regniq; sui amplificandi studio nihil intentatum relinquit. In Ecclesia, quæ propterea rosæ sive lilio inter spinas comparatur, hæreses, dissensiones & persecutiones excitat, in regnis ac politiis bella atq; seditiones, & nunquam non longam miseriarum telam texit, ut quam plurimos in nassam suam pertrahat. Utitur organis & ministris ad ea conficienda potentibus ac sapientibus hujus mundi mentes eorum fascinando & oculos excæcando, ne videant veritatē, quorum omnium exitus

exitus in hac vita plerumq; solet esse infelicissimus, ut historiæ Pharaonis in mari submersi, & Herodis à vermibus corrosi testantur. Nam quò quisq; fastuosius se extollit, eò dignior est, quem Deus contumeliosè ad extremos usq; inferos dejiciat. Nec minimam tentationum & afflictionũ causam esse veterem Adamum cum suis pravis concupiscentiis & fructibus adversus animum militantibus sacra scriptura docet. Caro enim semper luctatur adversus spiritum, & impedit, ut non faciamus quæ velimus. Ira, cupiditas, voluptas, timor, animæ affectiones, sunt veluti quatuor equi, quibus furentibus, anima nequaquam se cognoscit, sed compatitur corpori, cui vinculo quodam cognationis alligata adhæret. Hinc quasi quædam militia est omnium christianorum vita super terram. Hostes caro suggerens mollia, mundus vana, & diabolus etiam amara. Caro semper concupiscit adversus spiritum & dominatum in nobis affectat,

ctat. Mundus suis illecebris à Deo nos avertere satagit ad amorem rerum fluxarum, & interdum blanditur, ut decipiat, interdum terret, ut frangat. Sathanas singulis horarum momentis vitæ nostræ insidiatur peccato armatus in nostrum exitium, & quot sunt in homine corporales affectiones, totidem arripit illius tentandi occasiones, ut pertrahat in æternum exitium. Hi tres inimici semper nos impugnant & persequuntur, interdum apertè, interdum occultè: semper autem malitiosè. Contra illos ergo, ut strenuos & fortes milites decet, armis à Christo ipso nobis suppeditatis, excussa omni securitate, quotidiè pugnandum, & quod in baptismo professi sumus, constanter per omnem vitam præstandum. Christus Rex & Dux noster, adjutor & præcessor, & crux Christi militiæ nostræ vexillum est. Verbum Dei, fides, spes, charitas arma, quæ ut spiritualia & fortia militibus Christi semper debent esse præsentia, ne, cum venerit

Dux

Dux militiæ, situ nostrorum armorum offensus à legionum suarum societate nos discernat. Oratio auxilium & victoriam spondet, patientia cum vera humilitate triumphum. Christus Dux præliantibus præsens manum porrigit, arma dat, & vulneratis in hoc bello pharmaca maximè suavia propinat, ut curatos denuò in aciem reducat. Vexillo crucis Christi instructi intrepidè & animosè in ipsam hostium phalangem irrumpimus, iisq; & horrorem & terrorem incutimus. Crux Christi abolet atq; abscondit omnes errores nostros. Crux Christi à diabolis vinculis peccatorum ligatos liberat. Crux Christi salutem, victoriam, & immortalitatem nobis adfert. Invictissimo gladio verbi Dei assumentes galeam salutis, thoracem justitiæ, & baltheum veritatis diabolum repellimus. Scuto fidei ejus ignita tela extinguimus, ne nobis nocere possint. Fide carnem cum concupiscentiis suis crucifigimus & spiritui subjicimus, fide vanitates

mundi instar stercorum pedibus nostris conculcamus, fide in omnibus tentationibus & mentis ac animæ ægritudinibus resistimus diabolo, & vincimus eum. Spes non securos reddit. Qui enim sperant in Deum, non confunduntur. Charitas alacres, ut cum gaudio bello hoc perfungamur. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. Sicut magnes ferri pondus ad se trahit, ita magnes divini amoris crucis nostræ pondus ad se rapit, & sensum illius in nobis mitigat. Oratione Deum in adjutorium vocamus, cujus solius est omnis victoria, & ille nos non solum custodit in periculis nostris tribuens fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseverandi, ne vincant nos caro & sanguis, ne decipiat nos mundus & gloria ejus, ne nos supplantet diabolus & astutia ejus, sed Angelos etiam custodes dat, ut pro nobis excubent & pugnent. Patientia durabiles sumus, ne hosti terga vertamus,

aut

aut protinus nos in fugam conjiciamus, atq; ita omni victoria excidamus. Si patientiæ vera humilitas accedat (qua homo quasi extra se ipsum exiens, & apud se ipsum in nihilum redactus agnoscit nihil aliud boni quam in solo Deo esse, omissoq; propriæ gloriæ studio ad unam Dei gloriam promovendam totus adspirat ac fertur, & vita ac moribus professionem suam tuetur ac ornat, ad charitatis officia semper promptus ac paratus) dubium nullum est, nos in ipsa morte nostra victoriosos in omne ævum cum omnibus sanctis sine ullo belli metu de hostibus nostris triumphaturos esse. In hac militia nostra cum videmus innumeros cadere à dexteris pariter & sinistris, & alios perire morbis, paupertate, infamia, horrore mortis & inferni: alios venenato felicitatis humanæ poculo inebriatos, spreto militiæ sacramento, revolvi in volutationem cæni prioris, non est, quod desperemus, & turpiter abjectis armis fugiamus. Non tam co-

gitandum, quod periculum diabolus importet, sed considerandum, quod auxilium Deus præstet, nec mentem labefaciat humana infestatio. sed fidem corroboret divina protectio. Unusquisq; enim tantum accipit de Dei ope, quantum se credit accipere. Nec est, quod omnipotens præstare non possit, nisi fides accipientis caduca defecerit. Indifferenter de manu Domini bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipiendum, & pro omnibus contingentibus semper ei gratiæ agendæ sunt. Nihil ea lingua sanctius, quæ in adversis gratias agit, & probissimi hominis indicium est, de nulla re conqueri, nisi coactum. Quæcunq; vero dura eveniunt, omnia amore & dilectione justitiæ sunt superanda, & causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis nunquam peccandum. Qui metu gravioris infortunii impulsi, aut alterius mortis acerbitate adacti violentas manus sibi inferunt, & necem consciscendo de statione vitæ suæ injussu

injussu summi Imperatoris discedunt, cum maximè pugnandum est, arma projicientes, veri & genuini milites Christi non agnoscuntur, in cujus manu ac potestate est, quid de iis futurum sit. Si quanto propinquiorem quisq; peremerit, tanto judicatur immanior, qui se ipsum occidit propter præterita peccata, propter quæ hac vita opus est, ut possit pœnitendo sanari, pessimus homicida dicendus est. Deus autem ut malis tentari aut violari neqvit, ita nec ipse qvenqvam tentat aut ad mala solliçitat, sed qvisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, & una tribulatione recedente alia supervenit. Nam bonum felicitatis nostræ perdidimus, & mala, unde minimè expectantur, erumpunt. Sciente tamen & permittente Deo ob bonos fines affligimur, ut in tribulationibus nostris agnoscamus & invocemus conditorem ac liberatorem nostrum, aliorum exemplis & nostro admoniti securitatem & peccata vitemus, & Deus nobis

communicet bonitatem suam, quæ à nobis conspici non posset, nisi essemus miseri. Castigamur ob peccata nostra, & crux immittitur sanctis singulari consilio Dei, ut in ea exerceantur & probentur corda eorum, & felicitatis terrenæ pertæsi qværant felicitatem, cujus dulcedo non est fallax. In hunc enim usum à Deo positi sumus, ut patiamur cum Christo, cui nos oportet conformes fieri, idq; ad breve tempus, neq; supra id quod possumus. Deus fidelis & Pater misericordiarum facit tentationibus exitum, ut possimus sustinere. Et, cum blanditur, Pater est, &, cum cædit, Pater est, blanditur, ne deficiamus, cædit, ne pereamus, semper nostræ spes & anchora fiduciæ atq; portus in rebus malis. Ille qvum afflicta mens nostra molestiis succumbit oneri, præsens adest, malasq; curas diluit, & ipse demum nobis clamantibus adsedemit dolores nostros. Si deponamus apud eum tristitiam, ipse consolator est, si damnum, restitutor est, si dolorem,

rem, medicus est, si mortem, resuscitator est. Quia Christus, principem locum obtinens inter fratres tam in perferendis malis, quam in afflictionum fructu capiendo, suam patientissimè portavit crucem, ideo & nos nostram patienter perferre, & inhærenti peccato frænum injicere oportet. Perversè sequimur carnem nostram amantes fugitivam libertatem, à longè recedendo à Deo, ipsa potius sequatur nos conversa. Nam vinci à propria carne omni reprehensione ac confusione dignum: vincere autem carnem suam laudabile ac gloriosum. Qui Christi sunt, redigunt in servitutem & crucifigunt carnem cum vitiis ac concupiscentiis suis, quæ, quanto magis supprimitur, tanto magis anima elevatur, & currit post Christum corde dilatato in ipsum, omnia difficillima facillima existimans, & spretis parvulis mundi honoribus & gaudiis sola cælestia qværit ac desiderat. Non alia nobis via datur ad vitam & ad veram internam pacem, quam

via sanctæ crucis & quotidianæ mortificationis. Quanto enim plus nobis morimur, tanto magis Deo vivere incipimus. Trahimur ad Christum, cum tribulationibus & tentationibus exercemur, currimus, cum internis consolationibus & inspirationibus visitati tanqvam in svaveolentis unguentis respiramus, lucente nobis veritate, vilescente mundi vanitate, & intus fervente charitate. Nam tentationem sequitur consolatio, qua confortamur misericordia & gratia Dei, ut usq; in finem fideles in ipsius dilectione permanere possimus, & consolationem iterum excipit tentatio, ne extollamur in prosperis. Sero vespere vultus rigamur, mox redit aurea cum luce risusq;, & jacentes exhilarans animos voluptas. Sic Deus suos mille modis probare consuevit, percutiens & sanans eos, occidens, ne moriantur abs illo, deducens ad inferos & reducens, non minus diligendus & laudandus in tristibus quam lætis, in adversis quam prosperis.

ris. Non dormit diabolus, nec mortua est caro nostra, & omnia, quæ in mundo sunt, nō cessant nos persequi Ideo semper nobis certandum est, ut vincamus, & cælestis consolationis participes fiamus. Qui enim vicerit, dabitur ei edere de ligno vitæ. Ne autem vaga ac instabilis mens nostra in hac misera vita se præcipitet ac evertat, fræno atq; flagello opus habet, & quo chariores Domino sumus, eo flagello propiores Ne repellamus flagellum, si non volumus repelli ab hæreditate. Ne attendamus, quam pænam habeamus in flagello, sed quem locum in testamento, in qvo nobis qvanto duriores tribulationes fuerint, tanto uberior consolatio reservatur, & cumulatior insequentis gaudii uberras est futura. Qvod patimur medicina est, non pæna, castigatio, non damnatio. Si enim compatimur, & conregnabimus, & socii pænæ, socii quoq; erimus gloriæ. Qui quærunt fugere tentationes, gravius in easincidunt. Nam per solam fugam non pos-

sumus vincere, sed per patientiam & veram humilitatem efficimur omnibus hostibus fortiores. Lima ferrum expolit, crux virum, & sicut aurum ignis probat, ita, quam firma sit fides nostra, ostendit tentatio, quæ quò major, eò propior est Deus pro lachrimis risum reducens, pro dolore lætitiam alacremq; plausum. Quicquid amaritudinis, quicquid tentationum nobis obtingit, à benigna Dei manu probationis non reprobationis causa immitti statuamus, ut erudiamur, non opprimamur, & momentaneas tantum esse hujus vitæ miserias, si cum æternis comparentur. Dominus verè pius, verè misericors agones & labores posuit in hac vita, quæ citò finitur, coronas & gloriam in illa, quæ perpetua est. Corpus percutitur ut anima sanetur, & sæpè Dei providentia fit, ut qui non cognoverunt Deum in prosperis, cognoscant eum in adversis. Hebescit enim nobis mens prosperis, ideo erudimur malis, ut Deum quæramus, & verbo

ejus

ejus adhæreamus. Omnium maximæ & efficaciſſimæ conſolationes in omnibus ærumnis noſtris hæ ſunt, quod Filius Dei ſicut ſuſtentat maſſam ſuam, ita & nos velit ſuſtentare, & momentanea levitas afflictionis mirè ſupra modum æternum nobis pariat gloriæ pondus. Corripiat ergo nos Dominus modo non in furore ſuo, ne conſumamur & deleamur de libro vitæ. Gloriamur enim in tribulationibus, ſcientes, qvod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, exuberantiſſimam Dei erga nos benevolentiam cordibus noſtris manifeſtans. Gloriari in tribulatione, non eſt grave Chriſti miniſtris. Sic enim gloriari eſt gloriari in cruce Domini, qui propter nos peccatores crucifixus eſt, & adeo nos dilexit, ut ſe ipſum in mortem pro nobis tradiderit. Qui ſine tentatione ac miſeriis in bo-

nis diebus vitam lætam & jucundam traducunt, de altera parum aut nihil ſolliciti, æternæ beatitudinis non videntur capaces. Nam judicium incipit à domo Domini, & quos Deus amat, patitur nonnunquam incidere in tentationes, vel ut exploret, ſpectatamq; reddat eorum tolerantiam, vel etiam hujusmodi flagellis caſtiget ac emendet exorbitantium delicta. Sicut ſtomachus corporis morborum fons eſt, ita peccata verè ſunt initium, cauſa, & ſcaturigo omnium miſeriarum noſtrarum. Quoniam omnia, quæ à Deo accipimus, ad uſum culpæ convertimus, juſtum eſt, ut, qui in cunctis peccamus, in cunctis feriamur, & inde puniamur, unde delectamur. Si nulla eſſet iniquitas, nulla quoq; eſſet adverſitas, & quia adverſitas dura eſt, & naufragat tolerantia, tentatio eſt vita humana ſine ullo interſtitio ſuper terram, & tota ſpes noſtra non niſi in magna valdè miſericordia Dei, Non alius major dolor eſt, quam is, qui peccati mucro-

mucrone vulnerat conscientiam. Deus vero est medicus animarum nostrarum, & tribulatio medicamentum ad salutem, non pœna ad damnationem. Sub medicamento positi urimur, secamur, & clamamus: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Tentati vero quamvis auxilio Dei stent, tamen quoniam à se habent, unde cadant, ipsa gloria iisdem, quibus impartitur, ascribitur, & eorum fit meritum, quod steterunt. Deus enim sanctis, dum pariuntur, præmium parat, & tanquam Patrem se illis ostendit, illi debitam Deo & ejus mandatis obedientiam præstant. David dimissus à Domino ut circumveniretur à carne, non ut injustitia ejus cognosceretur, sed jactantia compesceretur, per pœnitentiam adulterii simul atq; homicidii veniam impetravit: temporalem pœnam nullo modo effugere potuit. Christus, ubi caput suum reclinaret, non habuit, innocentia pugnavit, per ignominiam vicit, in cruce triumphavit,

phavit, per passionem ac mortem intravit in gloriam suam. Christiani non nisi per multas tentationes & tribulationes ingrediuntur regnum cælorum, ut, qui in lachrimis hic seminarunt, cum gaudio ibi metant. Hic gemimus in peregrinatione, ut exultemus in patria. Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo. Cum tentamur & affligimur, tum demum Deum magis necessarium nobis intelligimus, & beatum ejus vultú continenter quærentes oramus pro miseriis nostris quas patimur. Tum tædet nos diutius vivere, & mortem optamus, ut possimus dissolvi, & esse cum Christo. Gubernator navis in tempestate discernitur, christianus in adversis. Nam qui benè scit pati, victor sui est, dominus mundi, amicus Christi, & hæres cæli. Si quid melius aut utilius salutihominum esset, quam pati, Christus utiq; vel verbo suo vel exemplo id nos docuisset. Ingruentibus igitur fortunæ procellis agnoscamus iram Dei adversus

sus peccata, & corde contrito achumiliato redeamꝰ per veram pœnitentiam ad Deum opitulatorem. Bonus est Dominus confortans nos in tribulatione, & non derelinquens in se sperantes, ut qui curam nostri habet in omnibus periculis nostris, & mille viis ac rationibus suos à tyrannide diaboli ac impiorum liberare potest. Qui etsi differt suo quodam consilio liberationem, non tamen aufert, modo sit, qui sufferat. Deus enim ipse æternus non in æternum irascitur nobis, quoniam miseratur terram & cinerem, & placet ipsi in conspectu suo reformare deformia nostra, donec resideat tumor noster ex occulta manu medicinæ ipsius, aciesq; conturbata & contenebrata mentis nostræ acri collyrio salubrium dolorum de die in diem ab ipso sanetur. Illius arbitrio committamus vitam, rem, decus in omnibus angustiis ac necessitatibus nostris culpam magis nostram quam ærumnam deflentes. Petamus & expectemus ab illo auxiliũ & toleran-

di

di virtutem, scientes Deum velle adesse, opitulari, & tandem lætos exitus dare. Certandum viriliter & sustinendum patienter. Sine labore enim non pervenimus ad requiem, nec sine pugna ad victoriam. Labiles quidem sumus ac infirmi ad resistendum carni, mundo, & Sathanæ inimicis nostris, sed per gratiam fit possibile, quod impossibile videtur per naturam. Omnes pœnas & calamitates vincit, quod in ipsis calamitatibus habemus spem certam immortalitatis & vitæ æternæ. Quamobrem præstat millies mori, quam in adversis detestandum remedium corpus servans, animam occidens, & post hanc vitam utrumq; in Gehennam præcipitans experiri. Nomen vero Domini tutissimum asylum est, & arx munitissima omnibus illud invocantibus.

De

De Oratione.

CAPUT XXII.

JEjunium & Oratio humilitatis opera sunt. Non solum autem rebus in adversis compellentibus nos ire ad Deum divinum auxilium implorare, aut initia temporum & actionum nostrarum inchoare cum invocatione, sed toto vitæ nostræ tempore & curriculo sobrii esse debemus, & vigilare ad orandum indesinenter. Invocatio enim, ascensus mentis ad Deum & scala ad thronum ejus, oranti subsidium, Deo gratum sacrificium, & diabolis flagellum', est modus à Deo ordinatus, per quem ipsi placet promissiones suas in nobis ratas facere, & fructus longè uberrimos ad vitam hanc tutandam & futuram assequendam producit. Nam & ad gravium delictorum veniam prodest impetrandam, & levia, minima, ac quotidiana tollit, & quæcunq; nobis necessaria sunt, præstat. Orario justi est clavis cæli, ascendit precatio, descen-

descendit miseratio. Summa hæc nostra dignitas est, & amplissima nobilitas, quod Deum, qui est Dominus rerum, & proinde solus orandus tanquam Patrem nostrum invocare filiali fiducia audemus, & clamare Abba Pater, ut ille nos vi sua arcana cingat, opisq; miseretur egenos, & det nobis, quibus egemus cum bona spiritualia tum corporalia per Christum Mediatorem, qui nobis, quicquid petierimus in nomine ejus Patrem daturum sanctè promisit. Ejus enim solius est dare, quando vult, quantum vult, & cui vult, prout ipsi placuerit, & Christi juramentum fidei nostræ firmamentum. Quia omnes natura ad bona sumus pigri, ad mala vigilantes, exuendus per preces torpor, & alendus acaugendus in nobis ille Spiritus, qui futuræ felicitatis arrhabo est datus. Sicut carnalibus escis alitur caro, ita divinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & pascitur. Christus nos suo exemplo docuit carni non parcere, & post impletũ officium

semper

semper vacare orationi, qui licet unicus esset, ac nullius rei indigeret, orabat tamen Patrem cælestē pro nobis. Christus primus in nobis preces inchoat, cordiq; adeo nostro & ori insinuat & dictat id, quod petendum est. Christus nobiscum orat, ut frater noster: orat in nobis, ut caput nostrum: orat pro nobis, ut summus noster Sacerdos & Pontifex, semper apparens vultui Dei pro nobis: oratur à nobis, ut verus & omnipotens Deus, Christ⁹ Servator & Frater noster, qui hodiè & heri idem est, qui in secula, preces nostras exaudit, nunquā in omniū seculorum æternitatem nos orbos relicturus & desperatos, cum è charitate ipsius nunquā excidere queamus. Si manserimus in christo, & verba ejus in nobis, quodcunq; voluerimus, petentes accipiamus. Omnia Christi bona & beneficia participamus prius per fidem justificati. Fidei autem proprium est orare, quærere, & pulsare, & oratio ala fidei, qua fides in altum subvolat ad Deum, & ejus alimentū, per quod vires

suas

suas exerit & exercet ad superandum & debellandum peccatum, mortem, ac diabolum, & inchoandum novam vitam. In illa ambulantes habemus aditum ad regnum ipsius, & fiduciam id flagitandi precibus nostris, & accedendi ad thronum gratiæ, ut consequamur gratiam ad salutem, & auxilium oportunum. Fides orationis basis est & fundamentum, quæ ubi deficit, oratio perit: & quia, quæ speramus, expectamus, & quæ diligimus, iis frui & potiri avemus, ex spei quoq; & charitatis motu ac impulsu oramus. Idcirco præparanda est anima nostra ante orationem laqueis diaboli, quibus nos reflectere tentat à sanctitatis proposito & piis votis, discussis, & illusionibus ejus spretis ac rejectis, quæ non fugiendo, sed pugnando & suspiriis vincuntur, donec tandem serenitas affulgeat, ut id, quod oramus, mores nostri loquantur, fides adjuvet, opera commendent, & sit quædam symphonia & harmonicus concentus ac consensus cordis, oris,

ris, externiq; operis. Qui vero aurem suam avocant, quo minus legem audiant, & peccatis suis consuescendo quotidiè Deum ad iram provocant & irritant, eorum precatio abominanda est. Nam peccatores nefandi sceleris sibi conscios, & incredulos infidelitate sua donis Dei se indignos constituentes rector orbis supplicantes aure surda respuit. Quod idem quoq; sibi dictum existiment, qui fraternæ reconciliationi non student, sinentes occidere solem supra iram suam. Nihil enim operum nostrorum Deo placere potest, nisi personæ per & propter Christum Deo placeant. Puras autem manus, pias, supplices, & innocentes (nam innocentium tantum ascendit oratio) ad Deum attollentes & precibus fidelibus ipsas subsequentes non dubitemus preces nostras Deo gratas & acceptas esse, & tam efficaces, ut nubes & cælos ipsos penetrent, & à Deo exaudiantur, & nos votorum nostrorum compotes faciant. Quisquis enim invocaverit nomen

men Domini, salvus erit, & Deus propè est omnibus invocantibus eum, commodans intentus aures ad preces piorum, & potens facere ultra omnia, quæ vel petimus, vel cogitamus. At torvo scelestos intuetur lumine, & nomen etiam obliterat. Sciendum tamen in terrenis nos non exaudiri ad voluntatem, sed utilitatem nostram quatenus ipse Deus ea nobis conducere perspicit. Cum ea, quæ Deus laudat & promittit, ab eo petimus, securè petimus. Illa enim Deo propitio conceduntur, qui cum sit omnipotens, non est quod hæsitemus posse, cum velit, & cum sit bonus, certum est, non negaturum, quod spopondit. Talia sunt remissio peccatorum, incrementum fidei, necessaria patientia, auxilium Spiritus Sancti, & vitæ æternæ hæreditas. Quando autem petimus temporalia, cum modo petimus, & cum timore illi committimus, ut, si prosint, det, si scit obesse, non det, in quamcunq; partem petitio ceciderit, securi. Quid enim obsit

vel

vel prosit, medicè novit, non ægrotus. Quod si non dat, quæ petimus, aut differt dare, ut dilatum petatur ardentius, & acceptum sit gratius, aut paulo post multo meliora largitur, quæ pro sua sapientia & bonitate novit nobis ad salutem magis necessaria. Qui enim dat quod majus, dat etiam quod minus. Deus dives in omnes, qui invocant illum, nunquam non paratus est ad dandum, modo nos parati simus ad accipiendum, & quæcunq; petimus, mentem afferentes fervidam, in Spiritu & veritate, per omnipotentis Filii Dei Charitatem, cum reverentia, pudore, ac humili submissione, ex intimo cordis affectu & vera fide petamus, non labiis dolosis, non multum loquendo, non ut iis malè utamur, sed ad Dei gloriam. Si credimus nos accepturos esse ea, quæcunq; Deum per Christum precantes rogamus, erunt nobis. Qui dubitanter precantur, & in cordibus suis hæsitationi locũ relinqvunt & non credunt Deum remuneratoré esse eorum,

qui

qui ipsum quærunt & invocant, ipsum quasi ludibrio habent, & non honore, sed contumelia afficiunt. Et quanquam sumus indigni, tamen dignissimus est Christus, ut ob ejus intercessionem & sacrosanctam interpellationem exaudiamur. Propriæ enim indignitati semper opponenda dignitas & innocentia Christi, & ipse orandus, ut curet infirmitatem nostram. Altissimum Deus posuit refugium, ut ad ejus ostium, quæ est humanitas Christi, in omnibus necessitatibus nostris pulsemus, nunquam clausum sed semper patens. Si illud ostium mendici, quorum est flagitare Eleemosynam, importunè pulsaverimus, aperietur nobis, & quicquid nobis deest, impetrabimus. Iniqvus judex sæpè interpellatus tandem facit, quod justum est, multò magis Deus justissimus, æquissimus & essentialiter bonus exaudit quotidiè ad se clamantes, & salutem à se postulantes. Qui vero temporalia tantum quærunt, spiritualia sentire non merentur Neq; solum

solum pro nobis. sed omnibus hominibus, etiam inimicis & persecutoribus nostris, ut sani sint, Deiq; misericordia præveniat eos, sicut & nos, orandum. Quoties solem adspicimus, adorandus Deus, qui oculis nostris dulcissimam lucem indidit, quoties cibum capimus, dormitum imus, & è lecto surgimus, adorandus tantorum bonorum dator, omni momento nobis sua magna beneficia præstans. Si pura mentis sacraria servare quærimus, Deus prece supplice placandus, nec orbem pontus ut obruat, formidandæ æstus lethiferi minæ. Ipse enim periculis nos eripit asperis tutela præsens, & lugentibus gaudia refundit toto corpore, tenebras pectoris aufert, & beatæ quà ferat orbita vitæ monstrat, nec unquam procul à nostris flectit lumina gressibus. Non tamen Deo modum nobis succurrendi præscribere, neq; mora auxilii frangi debemus, verum alacriter petendo instare, & intra nos orare omni loco, sive in templo, sive domi, sive in agro aliis-

ve in locis simus, scientes preces nostras non esse inanem verborum sonum in aëre sparsum, quippe armatas omnipotentia Dei invicta, & fundatas super veritatem ac benevolentiam ejus, qui neminem unquam fefellit. Qui fundat orationem super propria merita virtutis, frustra orat. Rara enim virtus, & multa sunt peccata nostra. In magnis necessitatibus & calamitatibus preces conjungi, & publicæ non intermitti debent, ut facilius à nobis veluti unius corporis membris, eodem animatis Spiritu, & quasi manu facta Deum ambientibus, quævis ipsi grata est, quod in commune omnibus expediat, postulantibus, quod petitur, impetretur. Quia omnes ex eodem Patre pendemus, omnes eadem petere debemus, ut fratres, quos Dei bonitas æquavit in honore gratuito, ne ambitione, contentione, odio, ac livore inter se dissideant, sed concordes in unum glorificent Deum, & Deus det benedictionem. De communi bono magis

gis solliciti esse debemus, quam de proprio, & quemadmodum regiones fructus suos aliis regionibus impendunt, ita & nos charitate nobis junctis vicissim conferre, quod accepimus. Nam magnis accumulantur bonis, qui commune bonum pro viribus suis quærunt & desiderant. Etsi autem Deus novit, quæ nobis sunt necessaria, & priusquam votum nostrum conceperimus animo, ipse tribuit, quæ nobis sunt utilia, & misericordia commotus in ærumnis nostris cogitet de nobis juvandis, antequam nos cogitemus de ipso invocando: vult tamen à nobis se invocari, nosq; ab ipso exaudiri, ut agnoscatur author omnium beneficiorum nostrorum, & abolitis veterum typicis oblationibus & odoramentis, oratione tanquam quotidiano incenso à nobis colatur, & veluti primario cultu honoretur. Sunt enim piæ preces, gratiarum actiones, & fides gratuita Dei bonitate & Christi meritis nitens illæ victimæ, quibus solis & non aliis Deus

placatur. Aurum est Christo fides nostra, thus oratio munda, & myrrha bona opera. Felices illi, quorum Deus solus spes est, & omne opus eorum Oratio! Qui Deum assiduis precibus non deprecantur, neq; de animæ suæ salute cogitant, neq; cum Deo, neq; secum pacem habent, fieri non potest, quin illorum vita sit improba, mores corrupti, & mors pessima. Nemo autem secum pacem habere potest, nisi prius cum Deo illam habeat, quam qui habet, facilè vincit & superat ipsius gratia perturbatores suos carnem, mundum, & diabolum, qui secum pacem componere nolunt. Ex inordinato amore & vano timore oritur omnis inquietudo cordis, & distractio sensuum nostrorum, iis sublatis aut ordinatis pacata sunt omnia, & quiescunt. Cor impiorum est tanquam mare fervens, quod nunquam quiescere potest, usq; dum à tumultibus & fluctibus rerum secularium deprimatur ac suffocetur. Necesse est enim, ut assidua sit rixa in

magno

magno vitiorum contubernio. Simplices, humiles, & pauperes spiritu in multitudine pacis conversantur. Amant & exosculantur se invicem pax & justitia, ut, qui amat justitiam, declinans à malo, & faciens bonum, inveniat pacem osculantem justitiam. Declinemus & nos à malo, & faciamus bonum, inqviramus pacem & persequamur eam, & pax ultro occurret, ut osculetur justitiam. Pacem inqvirit & sectatur, qvi benè de omnibus mereri studet, qviq; se nullis hominum injuriis à mentis statu & tranquillitate dimoveri & alienari, & ad vindictæ cupiditatem inflammari ac accendi patitur. Nam resistendo passionibus pax vera invenitur cordis, eis serviendo & prosequendo id, qvod inordinatè concupiscimus, statim ex conscientiæ reatu gravamur. Ideo semper orandum & optandum, ut non nostra, qvæ semper inclinans ad malum ad mortem ac damnationem, sed Dei voluntas, qvæ semper optima ad vitam & ad bonum

nos deducit, integrè in nobis fiat, & ipse protegat ac conservet animas nostras inter tot hujus vitæ corruptibilis discrimina, atq; comitante gratia sua dirigat per viam pacis ac veræ libertatis ad patriam perpetuæ charitatis. Quanto graviori tumultu rerum carnalium premimur, tanto ardentius orationi insistere, & quò propiores morti, eò diligentiores in spirituali hoc tributo Regi nostro offerendo & persolvendo esse debemus. Olim pii omnibus actionibus suis minimis maximisq; crucis signaculum præmittere soliti sunt, quod primis temporibus velut compendium quoddam precum fuit. Sed perfectissimum orandi exemplar Salvator nobis dedit orationem Dominicam, ut, dum prece ac oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Gemitus quoq; piorum in auribus Dei sæpè vim habent ardentissimarum precum, in quibus Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, & pro nobis postulat gemitibus

bus inenarrabilibus. Nos quidem nostra ratione mysterium donationis & operationis Spiritus Sancti in nobis assequi non possumus, multo minus quam scire, ventus unde veniat & quo vadat. Qui autem corda scrutatur, scit, quid Spiritus desideret, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Non minus sacrificium laudis Deo immolandum. Si placent opera Domini, ex his lauda, & in artificem eorum amorem retorque, ne in his, quæ tibi placent, tu displiceas. Laudemus Deum in cordibus nostris, quæ sunt verum & aptissimum ad Deum laudandum oratorium. Cælum, terra, ac mare, omnisq; creatura ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut naturæ contemplatione tot specierum, experimentis tot bonorum, perceptione tot munerum ad cultum & dilectionem sui provocetur authoris. Semper ergo delectemur in Domino implente omnia Spiritu suo, in quo sumus, vivimus, & morimur, eiq; serviamus juxta

interiorem hominem, & ipse dabit nobis petitiones cordis nostri, & nemo poterit gaudium nostrum auferre à nobis. Laudemus Dei magnitudinem supra captum mortalium. Laudemus Dominum claris tubæ clangoribus, choriq; festi cantibus. Laudemus Deum fidibus & sonore dulci tibiæ. Harmonia gaudet, quicquid harmonicè compositum est, & musica certè aliquid divinius habet, quam quod auris persentiscit. Nunquam enim non religiosum quendam affectum nobis incutit, & pietatis flammam in animis nostris accendit, sensibile ejus harmoniæ specimen, quæ in auribus Dei intellectualiter resonat. Agamus insuper gratias factori nostro, qui nos homines juxta ac jumenta creavit atq; conservat, benefactori nostro, quo aperiente manum omnia implentur bonitate, faciem avertente omnia turbantur, redemptori nostro, qui nos in æterna tabernacula recepturus est. Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec in-

intelligi grandius, nec agi fructuosius quicquam potest. Si volumus magnificam Deo mactare victimam, cantemus laudes, gratias agamus, hac itur ad certam salutem, hæc superos via pandit axes. Nunquam cessant Angeli Deo gratias agere in cælo, nec nos cessemus idem facere, quamdiu vivimus in terra. Non est dignus dandis, qui non agit grates de datis.

De remissione peccatorum.

CAPUT XXIII.

INtegra & tota nostra justificatio his duabus partibus constat, peccatorum gratuita remissione, & gratuita justitiæ imputatione, quæ utraq; est in Christo Uti à Deo in gratiam recipimur ob meritum Christi, ita etiam peccata nobis condonantur & remittuntur, non ut maneant, sed ut aboleantur, & restituatur in nobis justitia & vita æterna. Nobis quidem gratis: in

Christo autem fidejussore nostro non gratis, quia eorum ipse pœnam pro nobis sustinuit, quantam maximam Dei justitia postulabat & exigebat. Fidus enim hic & certus sermo est, & modis omnibus dignus, quem amplectamur, Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret. Peccati omnis humani pariter atq; diabolici causa, origo, & initium fuit pravus liberi arbitrii usus & superbia, qua inflatus diabolus hominem paradiso spoliavit, se ipsum æternæ damnationi obnoxium reddidit. Illius arte totus mundus in maligno positus est, & nemo sic innocens, ut ad Dei tribunal se possit profiteri crimine liberum: Verum quamdiu mortaliter vivimus, cum morte confligimus & peccamus. Peccare conditionis est, quia nemo vitiis sine nascitur, optimus ille, qui minimis urgetur; peccare autem malitiosè & impiè agere non conditionis, sed perfidiæ, & nequissimum mentis venenum est. Non raro tamen accidit, ut sicut cæli novorum

rum astrorū, terræ inusitatarum plantarum & animantium fæcundæ sunt, ita etiam humani animi novas scelerum ac fraudum facies meditentur, atq; antehac inaudita vitia proferant. Sunt illa retia diaboli, ut peccata laquei, quibus ille implicat & illaqueat homines, ut secum ad Gehennam trahat. Nam vitiorum & peccatorum nostrorum sæva satelles est pæna temporalis & æterna. Peccatum cælestium inobedientia præceptorum sive dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei committitur in Deum & homines cogitatione, ore, & opere. Nam & cogitatio mali malum est, etsi illi non assentiaris, quia toto corde à nobis vult se coli Dominus. Qui mundo placere cupit, qui cor terrenis cogitationibus oppletum habet, Deum inhabitatorem habere non potest. Peccatum originale dicitur, quod habemus ab ortu, sive labes hæreditaria à parentibus in nos transmissa, cui hæc duo insunt, privatio justi-

tiæ originalis, & proclivitas ad malum. Peccatum actuale usus obtinuit ut vocetur, quod actione seu opere, vel ejus faciendi omissione committitur. Mortale omne peccatum, per quod homo mortem æternam meretur. Veniale, quod hominem usq; ad reatum perpetuæ mortis non gravat, & quamvis pœnam meretur, facilè tamen indulgetur. Per hoc peccatum pravos motus in renatis denotari non absurdè statuitur. Omnia vero peccata, sive ea sunt commissionis sive omissionis à defectu perfectionis ejus sunt, quam in Adamo amisimus, qui, si lapsus non fuisset, omnes motus animi & corporis nostri recti fuissent atq; incontaminati. Quoniam in Adamo omnes peccavimus, nullum peccatum est, cujus homo in se semen non inveniat, & quod vario respectu varia in Deum offensionis genera non complectatur, tanto conspectius in se crimen habens, quanto major, qui peccat, habetur. Propter peccatum manducamus panem dolorum,

&

& longè projecti sumus à facie Dei. Non secus ac fumus apes putridum peccatum Angelos vitæ nostræ custodes repellit. Immunditia cordis, cupiditas & superbia sunt tria graviora scelera, ex quibus omnia alia corporis ac animæ inquinamenta consurgunt. Immunditia cordis homines bestiis simillimos reddit, nonnunquam deteriores. Cupiditas totum terrarum orbem concutit, & latenter ingrediens de die in diem extenditur, ac inflammatur, nec sentitur ejus calor, nisi erumpens in incendium. Superbia creatæ naturæ ordinem & nobis à Deo datam conditionem transcendere nititur, & cum omnia alia vitia mala ipsa appetant, hæc etiam bonis operibus insidiatur, eaq; corrumpit. Si iis profana securitas adjungatur, omnis generis & modi peccata atq; flagitia nasci necesse est, & quicquid abominabile perpetrari. Quas sordes quæ dedecora immundit a cordis nobis non suggerit, nisi Deus avertat sua misericordia,

dia, & excipiat ac sanet nos? Obstupescendum adversus immunda membra nostra super terram, ut mortificentur, & lex Dei audienda, & semper illis opponenda. Cupiditas & superbia Episcoporum pepererunt antichristum in Ecclesia perturbatio politico Romani imperii statu. Sicut autem per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ. Et multo plus est in Christo, quam in Adamo amisimus non solum quod ad hanc, sed etiam æternam vitam, in qua & moriendi, & deficiendi, & corruptibilitatis possibilitatem amittemus, nec edendi nec bibendi necessitatem habebimus, sed corpora nostra erunt conformia glorioso corpori Christi, & conditio animæ nostræ longè felicior futura est, quia ipsam possibilitatem, nedum voluntatem peccandi pii amittent, quæ conditio in Adamo non fuit,

Ve-

Veniens enim Christus in hunc mundum, mortem nostram tulit, & occidit eam de abundantia vitæ suæ, ut & nos vitam habeamus, & abundantius habeamus. Per Christum unicum Dominum redemptorem nostrum, illuminatorem & consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud Patrem, & lumen oculorum nostrorum, qui est vita nostra, & Salvator noster, & spes unica nostra, qui nos dilexit magis quam se, habemus accessum ad Deum, à quo nobis reatum peccatorum nostrorum dimitti postulamus, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, habemus fiduciam nos impetraturos ea, quæ petierimus. Si dixerimus nos non habere peccata, veritas in nobis non est. Si confitebimur peccata nostra, fidelis est Deus & justus, ut ea nobis remittat. Si dimiserimus & nos proximo in nos peccanti, quod facile factu cogitantibus indies apud

pud Deum & homines nobis venia opus esse, & nos nostris consulere commodis proximo dimittentes, jam remissio magna ex parte in nostra est potestate. Homo enim Jesus Christus unicus Mediator inter Deum & homines in se receptis peccatis nostris in nos justitiam suam confert, & persolutis peccatorum nostrorum pœnis nos suæ quietis facit participes, omnibus sensu peccatorum conturbatis liberrimum ad se concedens aditum. Quod uti indubitatum sigillum pectori cordiq; nostro arctissimè adstringi, & quasi imprimi debet, Christum videlicet unum esse nostram justitiam, ut exinde fiduciam concipiamus, nullis quamtumlibet gravibus & atrocibus delictis aditum nobis ad salutem præcludi. Sicut enim nulla tam præclara opera possunt existere, quibus hoc, quod gratis tribuitur, per retributionis judicium debeatur (vilesceret enim redemptio sanguinis Christi) ita nulla peccata tam detestanda, quæ possunt

possunt arcere gratiæ donum. Patientissimus & benignissimus Dominus de vitæ suæ maculis erubescentes suscipit peccatores, & nihil dignè operatis, modo non desperent, sed pæniteant & mundari desiderent, omnia peccata voluntaria atq; involuntaria, nota atq; incognita per misericordiam relaxat, ut ubi abundavit peccatum, ibi exuperet gratia. Non possumus terreri multitudine peccatorum nostrorum, si mors Domini nobis in mentem venerit, quoniam peccata nostra illum vincere non possunt. Peccato Petri nullum fuit majus, & tamen remissum est, judæ æq; magnum, & non remissum, propterea, od judas Deum magis offendit in hoc, quod desperando se ipsum suspendit, quam quod Christum tradidit. Desperatio namq; augens peccatum, & major omni peccato reddit hominem maledictum & Dei protectione indignum. Idcirco neq; post centum peccata, neq; post mille crimina de divina misericordia desperandum.

dum. Quod nunquam in occasionem peccandi arripiendum, sed Deum ob immensam suam misericordiam, quam stupendo opere, traditione nimirum unigeniti sui in mortem, erga nos peccatores declaravit, magis magisq; glorificandi. Scriptum est enim, neq; scortatores, neq; adulteri, neq; homicidæ regnum Dei possidebunt, & Apostoli renatos hortantur, ut caveant sibi à peccatis contra conscientiam, & contra ea pugnent spiritu ac fide. Arcta est via, & angusta porta salutis fide, spe, charitate, patientia, humilitate, Eleemosinis, orationibus, castitate aliisq; sanctis virtutibus exædificata, quam operarii iniquitatis non inveniunt. Christus humilis abominatur superbos Christus pauper dedignatur avaros divites: Christus angusta & arcta via non recipit in se, nisi qui omnibus criminibus se exuerunt. Si tamen Sathanas peccata in nobis augendo novas quasi desperationis faces injiciat, nunquam illis

illis cedamus, sed certa fide & apprehensione misericordiæ Dei eas restinguamus, atq; recepta iterum remissione peccatorum nos jam felicissimos esse, constanter nobis persuadeamus. Gravissima ilia sarcina peccatorum & pondus flagitiorum per salutarem pœnitentiam statim est abjiciendum, & deinceps cane pejus & angue peccatum fugiendum, ne, si consuetudini peccandi non resistamus, transeat in necessitatem, & ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, & ex gloriatione certissima oriatur damnatio. Non enim potest fieri renovatio spiritualis, quamdiu homines manent in delictis contra conscientiam. Cavendum itaq; peccatum, cavenda maximè in peccatis perseverantia, nisi recto tramite velimus descendere in infernum. Ne hoc eveniat, appetitus pareat rationi, ratio Deo, & anima corpori tanquam servo domina præferenda, diversarum hu-

humescat rore virtutum, ne arefacta radice vitali profluvio carnis illisa procumbat. Emendare futura attentionis humanæ est, præterita donare divinæ potestatis. Ut autem emendare possimus, fugiamus mundi vanitates, & quæ sunt seculi, ne securis affectibus & ociosis iterum blanda voluptatis irrepat illecebra, & mentem deprimat. Nihil immundius quam mentem, qua nihil precioſius homini datum est, turpibus commaculare criminibus, & inanis gloria est, velle vincere, ubi præmium non datur. Laqueis innectit animam suam, qui viam peccatorum ambulat, quibus se extricare non irretire quærit sapiens. Avertit se à creatore suo, excidit gratia Dei, cujus inimicus constituitur, servus efficitur diaboli & peccati, cui servit, qui diligit iniquitatem, & tandem pœnæ æternæ reatum incurrit. Corporis quoq; quam plurimas ægritudines, & vitæ breviorem metam sibi attrahit peccator. Nam lites, rixæ, odia ossa exic-

exiccant, & animam labefactant, nimia esca & potus corpus corrumpunt, dum crudum super indigestum sumitur, inordinata libido humidum radicale extenuat. Hos fructus capiunt peccatorum suorum & mala Deo ingrati peccatores, vitiis vacantes, quæ si unusquisq; priusquam peccaret, ob oculos sibi poneret, procul dubio peccare maximè volens eorum consideratione à peccato retraheretur. Passio quoq; Domini nostri Jesu Christi à teneris memoriæ infigenda, & per omnè vitam grato animo recolenda adversus omnia peccata remedium ac antidotum singulare præstat. Qui enim superbus est, adspiciat Christum humiliatum usq; ad mortem crucis. Qui avarus, videat apertas Domini manus & extensa brachia ad effundendum sanguinem suum copiosissimè. Quem libido vexat, videat totum Domini corpus expositum tormentis, flagellis, & in cruce extensum. Quem gula stimulat, videat os ejus felle & aceto potatum

tatum. Quem invidia corrodit, intueatur latus apertum & comprimat iram ac ferox odium, contemplans charitatem & patientiam ejus pro inimicis Patrem cælestem deprecantis. Hæc est illa margarita pretiosa, qua ornamur, hic est ille ager, quem qui invenit homo, vendit omnia, ut tanti thesauri possessor existat, cujus valori nihil est in mundo, quod possit comparari. Ex eo enim debitum æterno Patri persolvimus. Totus figatur in corde, qui totus pro nobis fixus est in cruce, & memoria crucifixi crucifigat in nobis omne carnis desiderium. Quo magis opera Redemptoris nostri attendimus, eo magis in amore ejus accendimur, & peccato morientes vivimus Deo in Christo Jesu. Felices, qui non actus tantum, sed etiam cogitatus emendant, & peccatum sentientes peccato non consentiunt! Perfectè beati, quorum hic remittuntur peccata! Habent enim in se regnum Dei, quod non est esca & potus, sed justitia, pax, &

& gaudium in Spiritu Sancto. Exui vero peccati vis à nobis in hac vita, quæ infinitas peccandi occasiones habet, non potest, etiam sancti & justi sine peccato non vivunt. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum usq; ad unum, nec sanctus nisi Deus noster, neq; justus præter ipsum, cujus solius est in nulla re prorsus peccare. Nam pleniſſima charitas, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic vivimus, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, sciendum illud, quod minus est, ex vitio esse. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Idcirco quemadmodum nemo à nobis quamvis flagitiosus pro deplorato abjiciendus, & condemnandus est, ita neq; in sanctis perpetua innocentia exigenda. Deus enim etiam sanctos nonnunquam enormiter peccare sinit, ut humiliores, ferventiores, & sanctiores fidei adminiculo resurgant, deq; se ipsis nihil

nihil boni deinceps præsumant, omnia tribuant clementiæ Dei, in eam solam sperent, sibi ipsis ex animo diffideant, & precibus eo ardentioribus intervenientibus peccata fugere discant. Permittuntur justi cadere à Deo, non solum ut se noverint ex se fragiles esse, & fortes non nisi gratia Dei, sed etiam ut lapsus & ruina majorum, sit tremor & cautela minorum. Quod dicitur, qui ex Deo natus est, non peccat, non eo spectat, quasi nihil alienum à Deo pii committant, sed quia animum intentum gerentes ab omni graviore crimine abstinent, & peccato suo non delectantur, nec in eo perseverant, propter insuperabilem & omnia peccata exhaurientem justitiam Christi condonatur & tectum habetur. Nulla enim condemnatio est in iis, qui in Jesu Christo non secundum carnem sed spiritum ambulant. Gloriantur, non quod vacui peccato sunt, sed quod peccata illis remissa, non quod justi, sed redempti sunt. Perfecti & sancti in hac

vita

vita dicuntur spe glorificationis futuræ, imperfecti onere corruptionis præsentis & mortalitatis. Nam remissionis peccatorum pleniſſimus effectus in diem judicii, & ſtatum illum, qui poſt mortem futurus eſt, differtur, in eum usq; diem expectanda nobis eſt corona gloriæ & juſtitiæ. Interim per remiſſionem peccatorum ſtat Eccleſia in terris, per quam non perit, quod perierat, & inventum eſt. Quibus Deus verè propitius eſt, iis non ſolum donat peccata, ne noceant ad futurum ſeculum, ſed etiam caſtigat illos baculo diſciplinæ ſuæ confringens oſſa eorum, ne ſemper peccare delectet, & promiſſionibus ſuis debitor illis fieri non dedignatur, non aliquid ab illis accipiendo, ſed quod ſibi placuit promittendo. Non ſunt autem omnia peccata æqualia, ut Stoici dixerunt, ſed alia aliis graviora. Hinc Paulus Apoſtolus vult miniſtros Eccleſiæ eſſe ſine crimine, quale eſt vitium accuſatione publica dignum, ſed non ſine peccato.

Inter ea illud graviſſimum, quod in Spiritum Sanctum committitur, nimirum in univerſam agnitæ veritatis doctrinam malitioſa & erudelis blasphemia, ejus obtrectatio, repudiatio, & perſecutio, quæ fit verbis vel factis, ſive re-ipſa cum propoſito perſeverandi. Nominatur peccatum in Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus is eſt, qui peculiariter homines illuminat, veritati teſtimonium perhibet, & per eam ad Patrem, & Filium, & ſemet ipſum viam patefacit. Qui hactenus à Spiritu Sancto illuſtrati, ut veritatem, ne ſi cupiant quidem, ignorare poſſint, & tamen deſtinata malitia veritati & Deo ejus authori bellum indicunt, & Spiritum Sanctum ad remiſſionem peccatorum adducere conantem prorſus rejiciunt ac blasphemant, huic peccato obnoxii ſunt. Quidam etiam nondum illuminati Evangelium ex ignorantia oderunt, ac rejiciunt illud perſequentes, è quorum numero fuit Apoſtolus Paulus, & hi, ſi antequam diem

diem claudant extremum, resipiscant, & Ecclesiæ Dei inserantur, eos posse salvari dubium non est. Ad hoc enim apparuit Filius hominis, ut destruat opera diaboli, & nullus peccat in Spiritum Sanctum, qui fugit ad ipsum. Illi vero qui in repudiando Evangelio, persistunt, judicio Dei relinquendi. Nemo peccans eo, quod non punitur, insolescat, sed timeat, & se humiliet. Dominus enim dum alios peccantes punit, alios eorum punitione monet, ne perpetuo puniantur, alios flagellat, ut convertantur, & resipiscant à peccatis, alios perimit, ne multiplicatis peccatis majora in inferno tormenta patiantur, aliorum peccata dissimulat, dimittens eos secundum desideria cordis eorum. Si igitur aliquod habemus & colimus idolum sive peccatum, confringamus illud in tempore, & abjiciamus carnis ac diaboli jugum à cervicibus nostris, ne à Deo per peccatum recedentes & ipso recedente à nobis perpetuo in infernum de-

trudamur. Timendæ & fugiendæ viæ distortæ, in quibus ambulant, qui tergum ad Deum ponunt, non faciem. Quandoquidem id fit repugnante carne nostra, contentione opus est, qua nobis ipsis vim inferentes Christo duce per angustam portam intrare possimus in illam gloriam, quam Deus præparavit iis, qui diligunt ipsum. Ad perenne cingulum vocatos à Christo rudem crudi laboris vitam ducere non oportet, sed exerceri adversis, ad afferendum fructum multum in patientia.

De Magistratu.

CAPUT XXIV.

SAcerdotium & imperium maxima Dei inter homines dona sunt, illud quidem divinis ministrans; hoc autem humanis præsidens. Quemadmodum enim ministerium verbi veram & internam conscientiis pacem administrans à Deo institutum est, ita & magistratus, ut per eum, sive unus sive plu-

res sint, illi, quibus præsunt, certis & honestis legibus in pace gubernentur, & enormiter peccantes contra primam & secundam tabulam Decalogi debitis pœnis coërceantur & puniantur. Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Jehovæ, qui præter immensam potestatem, quam à se habet, animarum quoq; ac conscientiarum nostrarum sibi retinuit. Corporum vero ac fortunarum certis legibus circúscriptam terrenis magistratibus delegavit & commisit, a ipsis administrationis suæ ratione aliquando reposciturus. Non est enim potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit magistratui, Dei ordinationi resistit, & sibi ipsi damnationem acquirit. Magistratus bonus & subditis felicitatis author existens optandus & expetendus, sed qualiscunq; etiam impius & injustus tolerandus, ne turbetur publica tranquillitas, & Reipublicæ salus in discrimen

adducatur. Nam magistratus quamvis legum contemptor, tamen pater est. Triste malum dominandi libido, cujus causa homines non raro jura divina ac humana violant atq; evertunt, improvidi jam jam imminentis exitus à Deo, qui cunctis arbitrio suo dispensat regna, & proni in ruinam incumbentes tanquam mœnia saxis solutis putria. Eois coëat viribus occidens, conjurent calidæ cum Borea plagæ, frustra divitias, sceptra, potentiam cuiquam conciliaverint. Unus Rex hominum res hominum suo versans arbitrio, & validæ robore dexteræ clara per immensum spargens miracula mundum, præcipitem trahit illum de solio, plebis ab infimæ hunc fæce ad solium erigit. Politia autem sive respublica benè & secundum rationem constituta habet suas promissiones legales, licet temporales, & habentes exceptionem crucis & castigationis, & cum comminatione habente exceptionem pœnitentiæ conjunctas: promis-

siones

siones gratiæ & æternas sola Ecclesia habet. Magistratus utriusq; tabulæ custodes, & justi, honestiq; ministri à Deo constituti inprimis curare debent, ut vera & sincera doctrina pura ab omni fermento humano, & verus usus Sacramentorum in Ecclesia vigeat, sua etiam confessione, sobrietate, justitia, aliisq; virtutibus civibus & subditis esse bono exemplo, seduloq; cavere, ne impuris ac petulantibus linguis laceretur sanctum nomen Domini, ejusq; cultum negligi ac pessundari sinant, quod fit omnium maximè idololatria, traditionibus humanis, aliisq; ausibus, quibus domus precationis in speluncam latronum convertitur. Justa & felix est ea societas hominum, quæ servit Deo, & vicissim à Deo custoditur, eò perfectior, quo eidem justitia & religio perfectior contingit. Nam regnorum & rerumpublicarum felicitas pietatis fructus est, earum translatio & eversio peccata incolarum, ut sunt injustitia, injuriæ,

contumeliæ, & diversi doli, ad quæ si contemptus & persecutio veræ doctrinæ accedat, eo magis acceleratur. Videmus enim Ecclesiæ & Reipublicæ mutationes sese mutuo comitari, vel excipere consueviſſe. Quanquam opus gubernationis non in donis hominum internis, qua fideles sunt & justificati, versatur, humanæ prudentiæ & industriæ artibus à Deo relictum, si tamen gratia & cognitio Dei ad morales illas virtutes accedunt, & rectoribus reip. & ipsi reip. melius exinde esse sacræ scripturæ monitis & exemplis edocemur. Ut enim oculus videat, & auris audiat, Deus facit utrumq;, hoc est, ut gubernator felix consilium habeat, & respondeat suo loco obedientia subditorum Dei opera sunt, quæ ille impertit per fideles gubernatores, quorum alii aliis præstant. Nulla vero humana sapientia, vigilantia, aut virtus par est tantis rebus. Deinde conservare externam disciplinam, honestatem, & pacem inter subditos ad laudem rectè agen-

agentium, & vindictam nocentium. Sicut Dei voluntate accidit morbus, & tamen per se non repugnat Dei voluntati, si quis morbum veris medicamentis conetur depellere, quia altissimus creavit medicinam, ita auxilium magistratus implorare non pugnat cum illa obedientia, quam Deo debemus in afflictionibus. Nam magistratus in eum finem à Deo ordinatus est, ut possit custodiri inter homines disciplina, cujus violationem in hac vita punit horribilibus pœnis, & tribuit remunerationes externas etiam non renatis servantibus disciplinam. Ut Respublica stare & pax in ea conservari possit, oportet malorum cupiditatem constringi vinculis legum & pœnis, ne liberè vagetur, & non personarum odio homines puniri, sed odio peccatorum reos castigari. Quantum admittunt rei, tantum vindicandum, & atrocia delicta committentibus graviores ictus sunt infligendi. Officia Reip. demandare prudentibus, benè meritis,

indigenis potius quam alienigenis, quorum & fides & vita est probata, & quibus jure vel ex probabili causa debentur. In publica commoda peccant, & sibi ipsis ac Reip. male consulunt, qui rudes, imperitos, atq; indignos ad culmina honorum vocant, & meliora ingenia arcent. Bella non suscipere nisi legitima & necessaria, & prius omnia experiri consilio, quam armis, ne, ut vilis, tenuis plebeculæ sanguis effundatur. Ut justa sint, tria requiruntur, jurisdictio indicentis, causa legitima & justa, intentio finis convenientis, & feliciter non geruntur, nisi Deo dante heroicis viris fortitudinem, sapientiam & successum. Si se humanum genus ab initio dilexisset, iniquitas in terris & bellum non essent. Exordium enim injustitiæ est discordia à Sathana in mundum introducta, cujus proprium est omnia dividere, per peccata homines separare à Deo, per odia, contentiones, & rixas homines à se invicem separare, & propter meum

ag

ac tuum totum mundum bello commovere. Homines, quibus nihil præstantius in hoc mundo conditum à Deo, in bellis sæpè per lusum jocumq; occiduntur. Quid autem iniquius, quam singulas cædes puniri, occisarum gentium tanquam glorioſum facinus triumphis oſtentari? Non tamen militare ſimpliciter peccatum eſt, ſed militare propter prædam peccatum eſt. Eſt enim militia politiæ pars ejusq; contra vim hoſtium tutandæ nervus, ſine quo illa conſiſtere nequit, Chriſtianis non prohibita, dummodo in eo vitæ genere inculpatè ſe gerant, & vitent ſcelera, quibus ut plurimum milites ſunt obnoxii. Ut milites in officio contineri poſſint, ſtipendia illis conſtituenda ſunt, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Ad magiſtratus officium pertinet, leges, mores, & conſuetudines laudabiles à majoribus latas & acceptas conſtanter retinere & tueri. Uſu demum & neceſſitate exigente eas corrigere vel abolere, & no-

vas ferre. In iis condendis & introducendis, ut semper alias, salus populi suprema lex esto. Omnibus sui copiam facere, & officium impartiri, litigantium utramq; partem audire, examinare causarum merita non mutare, & ante cognitionem earum exactam neminem damnare aut absolvere, & sceleribus ita irasci, ut aliqua retineatur humanitas, quæ talis sit, ut justitiam non impediat. Immodica bonitas contemptum parit, durior justitia querelas, nonnunquam dissensiones in rep. excitare solet, injustitia eam dissolvit. Non enim potest malitia regnum possidere, quæ ne unam quidem privatam familiam potest regere, & plerumq; calamitosum habet exitum. Moderata vero in longum tempus durant, & eo ipso meliora sunt. Ideo æquitas cum justitia semper conjungenda, ut maxime diuturnum sit imperium. Judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio constituta est, ne quis sibi ipsi valeat permittere ultionem, & ne quis in

sua

sua causa judicet. Semper autem in judicando satius est, impunitum relinqui facinus nocentium, quam innocentes damnari, quod illi iterum accusari, & convicti supplicio affici possunt, his sententia semel executioni mandata nulla judicis restitutione aut judicii redintegratione subveniri queat. Nam pœna dilata exigi potest, exacta revocari non potest, & nimia festinatio judiciorum noverca est. Si magistratus sua scelera umbra legis tegant, bonorum fraudulenta in caput concilia coëant, factione innoxios premant, iniquisq; obruant sententiis, potestate sua abutentes, his pro scelere suo Deus digna reddit præmia, suis & ipsos artibus pessundat. Per quæ enim quis peccat, per eadem punitur. Justitia distributiva æquabilitatem admittit, commutativa æqualitatem servat, sine qua difficile, imo impossibile est pacem in rep. conservari, neq; accipit personam potentis in judicio, neq; miseretur pauperis. Iniquitatis plenum

num Pilati fuit judicium toties fassi se nullam in Christo mortis causam invenire, & volentis dimittere innocentem, non tamen nisi cum consensu accusatorum. Timuit principes Sacerdotum & turbam Judæorum, & non veritus est veritati vim inferre, & iniquâ atq; scelestam adversus Dominum proferre sententiam. Cæterum ex parte Domini idem misericordiæ plenissimum fuit, dum se innocentem permisit flagellari, crucifigi, & mori, ut nos redimeret, & cælesti Patri reconciliaret. Jus ipsum non ex nudo proprio arbitrio & affectata conscientia, sed ex legibus, probatis consuetudinibus & statutis dicendum, & in judicando conscientia legis semper præferenda conscientiæ nostræ. Inter dispares sententias mitior vincat. Expeditio negotiorum sit brevis, & tota gubernatio diligens ac sedula, ita ut etiam tempus quieti accommodatum non denegetur subditis, & in omnibus Ecclesiæ ac reipublicæ commodum quæratur. Qui ea

tan-

tantum, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi, neq; universæ Reip. utilia, & pro conservatione Reip ex sola utilitate omnia media justa vel honesta censent, à vero scopo longissimè aberrant. Non enim sunt facienda mala, ut proveniant bona, sed, ut actio producatur bona Deoq; probata, requiritur, ut non tantum bonus spectetur finis, sed etiam ut medium sit honestum Deiq; verbo consentaneum, alias tentatur Deus, & infelices seqvuntur exitus. Vitia & peccata graviora, quæ faciunt contra se claudi regnum Dei, in republica emergentia sive suppullulantia in ipsa herba ac flore resecare ad magistratum spectat. Quæ vero in apertam consuetudinem venerunt, sæpè horrenda, & quia usitata parva aut nulla creduntur, non videndo tolerare, multò minus tolerando ea facere, sed severa adhibita disciplina palam prohibere, & sensim & paulatim evellere ac extirpare, ne dum talia punire negligit, divinæ ultio-

ultionis fiat particeps. Humili & infirmo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur non facientes voluntatem Domini, non custodientes legem justitiæ, non punientes publicè quasi exaltato vexillo & tuba præcinente peccantes. In propriis injuriis unumquemq; exemplo Christi esse patientem laudabile est: Dei vero injurias dissimulare & non ulcisci nimis impium. Scholas ordinare utriusq; sexus, & bonos præceptores illis prospicere, in quibus juventus rectè educetur, & in literis, linguis ac artibus informetur ad Dei gloriam, & humanæ societatis emolumentum, magistratui præcipuè incumbit, Disciplina est nutrimentum bonæ indolis: blanda vero patrum indulgentia segnes facit natos, & nimia licentia aditus illis patefacit ad omne scelus. Ut canes ad venatum habiles reddit educatio, ita viros Ecclesiæ & reip. utiles proba institutio. Corrumpitur autem juventus, si permittatur ocio luxus

ac malorum omnium magistro, & ad quævis vitia compendiosissimo tramiti. Nam corocioſi est receptaculum omnium vitiorum: districtis nunquam lascivire vacat. Generosa indoles, si accedat recta institutio, magno bono est patriæ, sin ad vitia degeneret, ingens affert malum. Ideo discere oportet ingenuos juvenes, quæ illis, ubi ad virilem ætatem pervenerint, usui sunt futura. Et quoniam disciplinarum usus extra Deum infelix est, precibus quotidianis Deo & Christo commendandi, & in templum à parentibus adducendi sunt liberi, ut à teneris verbum Dei attentè audire, & festa solennia religioſe celebrare consuescant, & prima fidei rudimenta illis tradenda in ea ætate, qua possunt inter bonũ & malum discernere. Quanquam Deus magnus, & placidus, & Majestate leni verendus, non habitet in templis manu factis & congestis in altitudinem saxis extructis, in suo cuiq; consecrandus pectore, & non sacrificiis & impendiis, sed

sed pura mente honestoq; proposito colendus ac invocandus, magna tamen debetur sacris locis reverentia, in quibus prædicatur verbum Dei, & Sacramenta administrantur. Propterea, qui ea ingrediuntur, corpore ac anima ingrediantur, sancta meditantes, & vitentur clandestina conventicula, in quibus diabolus plerunq; per homines fanaticos aliquid monstri alit in rebus fidei. Qui prohibentur interesse Ecclesiæ congregationi, animo tamen, voluntate, professione, invocatione, ac fide cum visibili cætu Ecclesiæ se conjungant. Quales nascantur liberi, nulli in manu est, at, ut recta institutione evadant boni, nostræ potestatis est. Non minus pauperum cura magistratui habenda, &, ut illis suum in tempore tribuatur, opera danda. Eligendi viri pii & honesti, qui eorum saluti consulant & serviant, &, si qui defectus sunt, corrigant, validos, ignavos fucos, ac malè se habentes corripiant & removeant. Monetæ, ponderum,

& mensurarum diminutionem rerum-publicarum morbum quendam esse ac pestem experientia docet, ideo à Magistratu diligenter præcavenda & serio prohibenda. Nullus autem magistratus, sive sit summus, sive medius, sive infimus habet potestatem agendi aut præcipiendi suis subditis aliquid contra Deum aut justas leges ex natura extructas, & verbo Dei non adversantes. Deus enim, qui instituit potestatem defendendi bonum ac puniendi malum, omnem animam, atq; ita etiam ipsos gubernatores tali ordinationi subjecit, sive obligavit ad faciendum bonum, si velint defendi hac Dei ordinatione, & non ob impia sua facta puniri. Mala potestas licere quod noceat, potestas tenebrarum est, verum non videre, sed spernere. Idcirco magistratui contra Deum ejusq; verbum & mandatũ aliquid mandanti non est obtemperandum. Oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus, & non metuendi sunt mali homines si il-

si illis actio nostra displicet, quibus nec justitia creatoris placet, ut quicquam omittamus, quod Deus ipse jubet, aut faciamus, quod prohibet, ob pœnas temporales. Multo magis metuendus Deus severissimus judex corpus & animam occidens, & utrumq; in Gehennam præcipitans. Si judex adversus Imperialis formam rescripti venire non potest, quanto accuratius magistratus divini formam judicii servare, ejusq; scitis obtemperare debet, & consiliarii regum ac magnatum studiosius cavere, ne quid in gratiam principum faciant, quo æternam Dei indignationem adversus se concitent ac provocent. Quicquid Deus jubet, faciendum est, & si nunquam factum, &, si omissum, instaurandum, &, si nondum institutum, instituendum est, &, sicut in potestatibus humanæ societatis major potestas ad obediendum minori præponitur, ita Deus omnibus præponendus. Magistratus legitimus neq; potestatem habet infinitam rapiendi

ex

ex bonis civium, sed suis propriis, quæ tenet jure divino ac humano, contentus sit oportet. Tributa & vectigalia magistratibus à subditis dantur & penduntur, ut subjectionem præstent, per quam sciant se non esse liberos, sed sub potestate degere, quæ ex Deo est. Sunt enim subjectionis probatio tributa. Magistratus vero accipiunt, ut innocentes defendant, & malos puniant. Si jus non dicunt, neq; innocentes defendunt, nisi muneribus deliniti, captantes avara munera dextera, & præ pecuniæ charitate justitiâ vilem habentes, officii sui desertores sunt, & à prædonibus parum aut nihil differunt. Etiamsi judex rectè judicat, si tamen præmium remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quoniam justitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Xenia & munera excæcant oculos sapientum, ideo non omnia sumenda sunt, neq; ubiq;, neq; ab omnibus. Profanis hominibus hoc natura dictavit, prohibendam esse à judi-

cijs

ciis omnem gratiam, qvæ insontes opprimat, qvanto intentius Christiano magistratui ab omni corruptela abstinendum, cui verbum Domini affulget. Plebeis vitio datur, si eos thesauri possideant sui, & pecuniis serviant, multò minus eadem magistratui decora sunt. Magis decet præeminentes viros, ut supra thesauros sint animo, & infra amicos obsequio. Humilitas enim plena laudis & digna primariis viris turpis lucri cupidinem non admittit. Honestum tamen est, ab illis accipere, qvi dant puro corde mutuæ benevolentiæ alendæ ergo, non ut magistratum sibi obnoxium reddant, aut causam iniqvam obtineant, aut publicum bonum defraudent. Qvoties vero Reipublicæ necessitas vel alia probabilis causa id postulat, vel urget, cives ac subditos opitulari Ecclesiæ & patriæ justum & æqvum est, ut & in omnibus debitum honorem, obsequium, atq; obedientiam magistratui etiam impio ob communem

Reip.

Reip. necessitatem præstare ac exhibere. Subditis enim competit parere, magistratui, qvæ facienda sunt, cogitare & videre, qvid oneris populo imponant, qva id necessitate compulsi præcipiant, populo debitum patienter & obedienter solvere. Generale qvippe pactum est societatis humanæ obedire magistratui suo, & ubi vera obedientia est, ibi etiam securitas est. Nam jubens potest errare, qvi fideliter obedit, non errat. Voluntaria autem obedientia à magistratibus maximè optanda. Tutius est enim volenti populo jura dare, qvam coacto, & invitis imperitare non solum grave, sed etiam periculosum. Regna & respublicæ & omnis domus sarta tectaq; continetur animis hominum concordia in unum conciliatis, & qvemadmodum concordia res parvæ crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur. Ut eam conservare, & tam publica qvam privata jura tueri possint, summa benignitate & lenitate, qvibus nihil efficacius ad retinendum

dum homines in amore, prudentia ad rectè judicandum, Zelo ad puniendum facinorosos, & patientia ob litigantium importunitatem & vulgi temeritatem, opus est magistratibus. Plurimũ juvat benevolentia, qvæ omnes studet beneficijs amplecti, devincire officiis, oppignerare gratia. Affabilitas qvoq; sermonis ad conciliandum gratiã valet, sed quæ sit sincera ac sobria sine ulla adulatione, ne simplicitatem ac puritaté alloquii dedecoret sermonis adulatio. Quales haberi volunt, tales sint, & qualem affectum habent, talem aperiant, tanquam sub oculis constituti judicis, quicquid gerunt, in luce positum putent, ut omnibus manifestetur, non quid de se stulta & variabilis turba, sed Deus aliquando sit judicaturus, considerantes Sicuti enim debemus Deo magis obedire quam hominibus, sic in universis actionibus nostris non respiciendum ad id, quod hominibus placet, sed ad id, quod Deo probatur. Neq; populo unquam fidendum, qui hodiè

hodiè acclamat regnanti, cras manus injicit imperanti, & ad quemvis fortunæ adversæ flatum se flecti ac immutari patitur. Nullum profecto morosius animal est majori arte tractandum, quam homo. Quanta rab es oritur, ubi supra modum odia crevere? Magistratus vero etsi suos nævos habeat, nunquam tamen malè imperat, si sic imperet suis, quemadmodum pater liberis, & ipse faciat, quod ab aliis fieri velit, & non prius incipiat imperare aliis, quam parere dedecori & turpitudini desierit. Fortissimum præcepti genus est præire, & vim facit, qui docet, & una ducit.

De Conjugio.

Caput XXV.

Corporis castimonia & animi sanctimonia sunt quasi duæ claves religionis & felicitatis nostræ. Deus purus & omnium maximè purus, pura & casta vult mente coli ac invocari. Quo-

niam vero rara est continentia, neq; se pro tantillo quæstu exinanivit Filius Dei formam servi assumens Deus Evam ex Adami costa factam ipsi in adjutorium dedit, & ordinavit conjugium stabile humani generis fundamentum, venerabile fidei & honestatis fœdus, suavissimum vitæ condimentum, & divinum consortium, quo mas & fœmina legitimè atq; indissolubiliter copulantur, & veluti arctissimo vinculo duo rediguntur in carnem unam, sive ex duobus fit una caro, sanis ante lapsum ad officium generationis, ægrotis post lapsum etiam ad remedium inordinati amoris. Sobolis enim procreandæ & libidinis vitandæ causa unusquisq; suam propriam debet habere uxorem, quæ quia de latere viri sumpta est, à latere ejus illam discedere non oportet, & unaquæq; suum maritum. His duobus conjugii bonis, quorum primum complectitur conjugum officium, quod in procreatione & educatione liberorum consistit, & mutuo

auxilio

auxilio ferendo, secundum est, quod præstat remedium adversus vagas libidines, tertium accedit, quod in se continet & nobis repræsentat mysterium in omnem æternitatem insolubilis societatis & conjunctionis Jesu Christi cum Ecclesia. Sicut autem matrimonium spirituale, quod est inter Christum & Ecclesiam, inseparabile est, ita & carnale debet esse inseparabile. Si enim omnis vera amicitia natura sua perpetua est, merito, quæ cum animorum societate corporum quoq; continet communionem, talem esse oportet, quod & ad rectam liberorum educationem haud dubiè est utilius. Sicut Christus est caput Ecclesiæ, ita maritus uxoris. Sicut Christus diligit Ecclesiam, eamq; fovet, ita maritus diligat uxorem, & uxor timeat maritum. Justum enim est, ut mulier, quem vocavit ad culpam, eum gubernatorem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. Nequaquam tamen à maritis floccipendenda sunt sana uxorum sua-

rum consilia, cum & ipsæ suis ornatæ dotibus haud raro de rebus arduis rectius judicent, quam mariti, quantumlibet cordati & intelligentes. Plures autem simul & semel uxores habere non licet, polygamia à Christo in novo testamento sublata, ut animus ab uxore in solidum marito datus æquali retributione pensetur, rectiusq; procedat domesticum regimen sub una præside. Nullam enim pro socia obtinet, cujus animus multitudine mulierum distrahitur, sed pariter omnes ei viles sunt. Personæ, inter quas contrahitur, sic se habeant, ne una sit radix, à qua altera processerit ut nec una à proximo. Nam si id liceret, haberent homines suspectam uxorum conversationem cum propinquissimis suis, & propinquissimis ipsarum, & humana societas conservativa humani generis periclitaretur. Omnes, quorum ætas est integra, & qui donum castitatis non habent, ad matrimonium contrahendum procedere jubentur, nisi naturæ vim & injuriam

riam inferre velint, sive sint laici, sive clerici, sive sacerdotes. Est enim benedictus status à Deo qui dixit: Crescite & multiplicamini, & non impura vitæ conditio, sed vita & consuetudo casta, ideo Sacerdotes quoq; rectè eo utuntur. Odit Deus vagas libidines omnesq; corporum contaminationes extra conjugium, & satius est sine liberis defungi, quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecunq; autem nascuntur liberi, licet sæpè contra votum nascantur, nati tamen debent diligi, non interfici, quod qui faciunt, pardis & tygridibus truculentiores & culeo digni sunt. Ipsi vero si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant, honesti & salvi erunt. Uterq; Deo gratus & acceptus est, & qui vivit in matrimonio, eoq; Deo gratias agens moderatè utitur, & qui vivit in castitate, in immatura adhuc ætate constitutus, vel etiam idoneus ad cælibatum. Viduæ à virginum præconio non sunt separandæ, quas Apostolica sententia cum virginibus

ginibus copulavit, qua dicitur, & viduam & innuptam cogitare ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta spiritu & corpore. Propterea laudanda viduitatis castitas, laudanda virginitatis, neutra tamen conjugali præferenda. Extollere enim præstantiam virginitatis, ut præ illa contemnas vel etiam condemnes conjugium, hæretica est sententia & anathemate digna. Impietatis se ipsos accusant, & onus Æthna gravius humeris suis imponunt, qui nulla habita ratione suæ naturæ vovent continentiam à Deo non donatam, & cum à se servari eam non posse persentiscunt, non rescindunt temerarium votum. Licet enim conjugium suas spinas, suos tribulos & varia genera crucis habeat, cum quibus sæpè miserè conflictantur pii conjuges, præsertim quando insigne aliquod malum ingruit, quod celerem fugam desiderat, est tamen laudatissimum vitæ genus à Deo institutum sua quoq; habens commoda, nec pænitenda nec contemnenda,

da, præceptum omnibus, qui se continere nequeunt. Vita sine thalamis ferarum est, non hominum, & graves post se trahit pœnas. Ut igitur retineamus bonam conscientiam, & juventutis castitas felici matrimonio compensetur, tenera ætas vitet lapsus & laqueos meretricum, ne in aliena misera capiatur possessione, si improviso igne præventa possessionem suæ mentis amiserit. Nihil enim est, quod tam miseræ servituti hominé subjiciat, quam vagus ardor amoris inops prudentiæ, & vesania libidinis licentiosa per dedecus humanum, illicita per legem Dei. Non solum, qui mulieri stuprum infert, sed etiam cujusquam pudicitiam attentat, vel oculis libat, reus habetur inspectore cordis judice Deo, concupiti, licet non peracti criminis, & virgo occulta ac furtiva turpitudine constuprata fingens se esse, quod non est, habitu virgo, facto non virgo, bis adultera est & in actu, & in adspectu. Pudicitia res est animi, virginitas & corporis.

Illa permanente integra in anima, potest hæc de corpore violentiis auferri, & hac integra manente in corpore, potest illa in anima lasciva voluntate corrumpi. Pudicitia semel amissa, mulier nihil habet reliqui, ex quo possit laudari. Flagitia, quæ sunt contra naturam, ubiq; & semper detestanda atq; punienda, qualia Sodomitarum fuerunt. Violatur enim ipsa societas, quæ nobis cum Deo esse debet, cum natura, cujus ille author est, & omnis turpis amor ejus abortus, tam nefaria & monstrosa libidine polluitur. Matura vero ætas, si opus est conjugio (quod non defloratio virginitatis facit, sed pactio dotalis, sive conjugalis, non tamen est perfectum sine permixtione sexuum) obtemperet ordinationi divinæ, & Dei summi authoris conjugii auxilio implorato parentum consensu contrahat illud, neq; animum ad alias personas appetendas postea evagari sinat. Vult enim Deus conservari generationem legitimam, donec compleatur

pleatur Ecclesia, & civilem societatem existere, ut quilibet in certo vitæ genere & vocatione sua constitutus, & donis suis contentus sobriè, piè, ac religiosè vivat, & proximo orando, docendo, atq; laborando inserviat. Ipsa quoq; conjugum officia inter se divisa sunt. Vir enim publicis officiis administrandis habilior æstimatur, mulier à Deo propter virum creata, ut semper & ubiq; sit coram marito suo individua vitæ comes, domesticis, ita tamen, ut maritus omnia dirigat, uxor illi subserviat, & mariti labores sedulò curet, colligat, custodiat, rectèq; collocet, & familiæ suum tribuat. Absit autem, ut mulier aliquid extra familiæ curam satagat, aut aliud præter obsequii gloriam quærat. Nam recta domus, ubi vir imperat, fœmina obtemperat, & stomachante viro conticescit. Jam vero refracto & quieto, cum oportunum viderit, rationem facti sui reddit, si fortè vir inconsideratius commotus fuerit. Matrum est lactare & enutrire

liberos, patrum erudire, utriusq;, bono illis & tori familiæ prælucere exemplo domestico. Sicut flumen non sine vado, ita neq; familia sine nævo reperitur, eo diligentius custodienda & ad officium faciendum cogenda est. Adolescentum liberior consensus in ducendis uxoribus, quam adolescentularum, quæ maritorum electionem integram parentibus aut tutoribus, in quorum potestate sunt, deferant, ut expetitæ magis à viris videantur, quam ipsas virum expetiisse. Neq; illi parentibus invitis ducant, & socient sibi impares, ex quibus pudoris contuitu liberos habere non possint dignos hæredes, neq; his parentes aut tutores obtrudant. Nihil enim copulatius quam morũ ac vitæ similitudo, & nuptiæ invitæ plerunq; malos solent habere proventus. Haud facilis est educatio liberorum, filiarum elocatio multo difficillior, & tam hæc quam illa non nisi divina adspirante gratia feliciter succedit. Qui suavitatem conjugii quærunt,

&

& amant, non superiores censu ambiant, quas necessitates non terreant conjugales, non monilibus ornatas sed moribus. Neq; tam pulchritudo mulieris, ut plurimum alienæ libidinis irritamentum, virum delectet, aut color arte compositus, inquinans non mutans corpus, quam virtus & gravitas ejus. In bestiis non plus reperitur, quam quod videtur, in homine nihil infernus est, quam quod videtur. Ideo bene se mutuo amant conjuges, qui in se opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit, & odit, quod ipse non fecit, semper illius rei ultor, cujus non est author. Qui cupit amari ab uxore, amet, & agat ac vivat cum uxore tanquam socia, non tanquam serva, quia amor vices exigit. Etsi autem castitas conjugalis, si ipsa per se conjugum libido spectetur, pura puta non est coram Deo, ut carere peccato dici possit, non tamen idcirco damnanda sunt conjugia. Semper enim vitia actorum secernenda ab ipsis actionibus,

onibus, ne propter ea res ipsa, quæ Dei ordinatio est, damnetur. In ipso gignendi liberos officio nullum est peccatum, quod in liberos non transmittit propagatio, sed libido, & cum concupiscentia natura nobis insit propter peccatum; nunc propter honestum ipsum conjugii velum à Deo institutum turpitudo & vitium libidinis coram Deo obtegitur & evanescit. Ipsa quoq; duorum societas est laudabilis, & affinitatum inter duas familias conciliatio, & quod juvenilis concupiscentia, quæ vitiosa est, per matrimonium ad propagandæ sobolis redigitur honestatem. Sunt enim quasi stipendia & præmia militiæ suæ conjugibus liberi, propagatores generis, successionisq; hæredes, & divinum munus fæcunditas parentis. Donum Dei liberi, hæc hæreditas, hæc illa merces, qua beat caros sibi rerum ille Dominus, & fæminæ procreandæ, alendæ, & fovendæ sobolis magistræ ab ipso formatæ. Bonæ igitur sunt nuptiæ & honorabile conjugium

jugium in omnibus, & thorus immaculatus: scortatores autem & adulteros judicabit Deus, qui dedit nobis corpus, non ut fornicemur, sed per illud ipsi serviamus. Liberorum in matrimonio opera tantum concessa sunt, voluptates, quæ de meretricum amplexibus capiuntur, damnantur. Ut adulter est in suam uxorem amator ardentior, & libidinis servus, ita sapiens judicio amat conjugem, non affectu, neq; amatorem se exhibet uxori, sed maritum. Amor nimius mulierum enervavit robur & fortitudinem Sampsonis, & fædavit sanctitatem regis Davidis. Salomon omnium sapientissimus insano uxorum amore captus, & de possessione mentis dejectus, nominis sui jacturam fecit, & regnum Israëliticum in discrimen adduxit. Secundas nuptias altero conjugum mortuo, & anno luctus, fœminis constituto, finito, non minus justas ac legitimas esse, quam primas, ex Pauli doctrina manifestum est. Dum anni vigent, dum susci-

ſuſcipiendorũ liberorum ſpes eſt, dum generandi uſus eſt in exemplo, copulæ quoq; uſus ſit in ſtudio. Ubi vero matura ævi ſenectus ſucceſſerit, & ætas regendis liberis quam creandis habilior, præſtat à conjugio abſtinere, quam novis curis animum fatigare. Turpe enim ſenex miles, turpe ſenilis amor, & ſenectus inſanabilis morbus æq; apta nuptiis, quam bruma meſſibus. Fæminis, quibus pudor eſt nuptiarum præmia non habere, ob ætatem omni pariendi facultate deſtitutis, nuptiæ ſunt indecoræ. Contra naturam eſt, ſi vetula juveni nubat, & inhoneſto matrimonio ſemper comes parata pœnitentia. Decet etiam juvenes ſuſcepta prole renuntiare operibus juventutis, cum & pecora, ubi ſemel gravem ſibi alvum ſenſerint, laſciviam exuant, & parentum curam aſſumant, & terra ipſa impatiente hominum ſtudio jactis frequenter ſeminibus impudentiam mulctet agricolæ, fœcunditatem ſterilita-

te

ce commutans. Omne nimium vertitur in vitium, & nimia fæcunditas raro aut nunquam ad frugem pervenit. Tanta autem inter conjuges debet esse animorum conjunctio, ut nihil acerbius in hac vita iis contingere possit, quam separatio, & fides conjugalis conjugi inviolata servanda, ne unquam opus sit divortio. Non uxor decepta serpentis insidiis exagitare animum mariti conetur, non vir uxoris mentem opprobriis, ut domus tota sit pacifica & quieta, nec malis divulsus querimoniis suprema citius die solvat amor conjuges. Magna amaritudo uxor tristis in domo est, & plaga mortis mulier nequam & virosa: pudicitia autem, munditia, & spiritus placidus ac quietus mulierem maxime exornant. Homicidium gravissimum peccatum esse, & vermem arrodentem conscientiam in Caino apparet. Adulteriu legitimi thori violatio substantiale vinculum rumpens matrimonii,

nii, quod est, ut duo tantum sint in carne una, non plures, non minus grave, & leno uxoris suæ est, quisquis ad impudicitiam ejus connivet. Diabolus, ut Christo æmularetur, docuit suos patientiam illam, quæ maritos dote venales aut lenociniis negotiantes uxorum potestatibus subjicit. Et, sicut vir uxorem, si scortata fuerit, ita uxor quoq; , si maritus fidem thori violaverit, virum fornicatorem repudiare potest. Commune enim est ac mutuum in hac parte jus utriusq; partis, ut mutua est & par fidei obligatio. Quanquam vir mulieris caput est, & uxor marito suo subjecta, & gravius crimen sit, ubi uxoris pudor solvitur, quantum tamen ad fidem conjugalem pertinet, eadem lex viro & uxori præscribitur. Uxor proprii corporis jus non habet, sed maritus: similiter maritus proprii corporis jus non habet, sed uxor. Quibus verbis omnis accessio ad thorum alienum damnatur, & conjuges juris æquabilis in servanda fide censentur.

sentur. Si neq; vir uxori, neq; marito uxor, ex qualicunq; causa, etiam religionis causa, nisi ad tempus ex consensu, alter alterius corporis debitor & gaudii & doloris particeps, se subducere, multo minus alii præter uxorem adhærere maritus potest. Nemo sibi blandiatur de legibus humanis, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur, castimonia exigitur. Quicquid in ea, quæ non sit legitima uxor, peccatum fuerit, adulterii crimine damnatur. Non solum est adulterium cum aliena peccare conjuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugii. Nam non nisi conjugalem concubitum ad conservationem humani generis Christiana religio in utroq; sexu adulteriũ condemnans, licitum & necessarium concedit, modo tamen, ordine, loco & tempore debitè conservatis. Incidunt nonnunqvam præter adulterium etiam aliæ causæ, ob qvas inter conjuges justè legitimeq;

gitimeq; divortium fieri possit, ut sunt malitiosa desertio, inhabilitas corporis ad matrimonium, si ea nuptias antecedat, & alteram personam lateat, error in persona ipsa, cum alicui non sponsa sed alia persona inscio adjungitur. Divortium quoq; potest petere is, qui eam, quam pro virgine duxit, ex utero prægnante aut extempore partus deprehendit ante nuptias fuisse corruptam, & se deceptum ac circumventum. Nam si in ullo alio humano negotio vel maximè in matrimoniali bona fides exuperare debet.

De Scandalo.

CAPUT XXVI.

QVia omnes per charitatem nobis invicem servire jubemur, sedulò vitanda sunt scandala, ne cui offendiculum præbeamus. Eorum duo genera constituuntur, alterum, quo hypocritæ & sapientes hujus mundi, itemq; omnes impii offenduntur, & vulgò acceptum

ptum appellatur, alterum datum, quo pii & imbecilles contristantur, & vel ad defectionem vel alia peccata invitantur, vel hostibus veritatis Evangelii doctrinam calumniandi occasio præbetur. Hominum enim vulgus Deum ex ipsius cultoribus æstimat, & qui Deum ignorant, quicquid in nobis est vitiorum, id omne impingunt glorioso nomini ejus. Ut utrumq; declinemus scandalum, absq; tamen jactura veritatis, ad exemplum Christi, qui solvit tributum, ne publicani & exactores offendiculũ acciperent, veritatem nunquam deseruit, non solum ab ipsis sceleribus, verum etiam ab omni mala specie abstinendum, & cavendum, quoad ejus fieri potest, ne in suspicionem alicujus flagitii veniamus. Mens ad Deum attollenda, ne victa à sensibus probet meliora, & deteriora sequatur, sed ab omni contaminatione libera neq; in se neq; in proximo diligat quicquã, quod non ex Deo esse novit. Mentis

tis intentio humanarum actionum amussis, basis, ac fundamentum est quasi animæ facies. Nam sicut ex facie pulchritudo corporis, ita ex recta intentione mentis rectitudo operis æstimatur. Mentis intentio clara & lucida hominem clarum, lucidum & simplicem reddit, obscura ac tenebrosa morosum ac difficilem, omnia in deteriorem partem interpretantem, ore blandientem, & cauda instar Scorpionis ferientem. Mens sobria passiones omnes sermonemq; regit, ideo lingua mentem non præcedat, sed sequatur. Non temerè jurandum. Qui non jurat, non pejerat: qui autem jurat semper, necesse est, ut aliquando incidat in perjurium. Quanto præstabilius unumquemq; id curare, ut nec jurato sibi credatur. Non omnia dicenda sunt omnibus, sed pro cujusq; captu moderanda sunt dicta nostra, ne multiloquio aut stultiloquio nostro quenquam offendamus. Nam homines sonis ut æra tinnitu dignoscuntur, & satius

tius est mutum videri, qvam turpiloqvum. Secretum non omni homini committendum, duobus manifestum, jam omnibus est divulgatum. Commissum non revelandum, nisi vergat in perniciem hominis vel reipublicæ, & qvantum fieri potest, persona committentis tum celanda. Laudet te os alienum non tuum, laudet te absente, non audiente. Nam propria laus sordet, & vana ac inanis est omnis gloria humana, privans hominem veris virtutibus, & à Deo abducens. Nec laude extollitur nec vituperatione frangitur fortis Christi miles, cujus cor in veritate subjectum est Deo. Qvi autem virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ, qvæ à christianis in cælo, non in mundo qværenda. Potest quis ori suo frænum injicere, & verbis stateram, auribus non potest. Loqvi enim in nobis est, audire ex aliena pendet potestate. Sæpè cogimur audire, qvod nolumus Cum illud acciderit, in tranqvillitate sit animus.

Si

Si supra Dei Filium opprobria exprobrantium ceciderunt nefanda quomodo servus se eorum exortem fore sperare poterit. Non sunt condignæ hujus mundi passiones superventura futura gloriæ. Ex sapientium & timentium Deum consilio omnia agenda. Malorum vero conversatio fugienda, maximè, si ad aliqvid faciendum vel dicendum sub aliqua boni specie nos inducere tentant. Qui parentes, præceptores, vel amicos bene monentes audire recusant, illorum proximus est interitus. Pessimus quisq; correptorem asperrimè patitur: admoneri bonus gaudet. Non judicandus à nobis frater solius Dei judicio relinqvendus, benè an malè agat, ne judicemur & ipsi. Judicet de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda. Nemo alium justè æstimare potest, quia nemo se ipsum rectè novit. Qui fratrem præ se contemnit, aut fastidit, multo magis

magis qvi eum procaciter lacessit calumniis, aut convitiis proscindit & differt, se ipsum gladio invidiæ, vel cupiditatis, vel arrogantiæ transfigit, ac vitia sua prodit. Non enim est credibile bene vivere eum, qvi male loqvatur. Extremè improbus ille; qvi etiam illudit, qvos antea afflixit. Iniqvissima illa opprobria censenda, non tantum in universum aliqvod vitæ genus, sed totas nationes jacta, qvibus paucorum crimen in omnes diffundimus, & totius nationis honorem uno qvasi ictu extingvimus, cum nulla sit familia, nedum civitas, qvæ non immixtos habeat sceleratos. Alienis malis & ærumnis torqveri, æterna miseria, iis delectari, & ægritudinem, cui ferendæ jam vix sufficiunt, miseris augere & acerbare inhumana voluptas est. Non directæ diaboli plagæ tam penitus usserunt Jobum, qvam obliqvæ amicorum expostulationes. Charitas vero animi dolores de pectore in pectus transfert, & ita concisim ac minutatim

tim discerpit, ut pænè nullibi sentiri qveant. Sensus nostri semper sint pacifici, ut, cum ipsi fuerimus pacifici, pacem aliis afferamus, & nemini irascamur, neq; nobis irascendi causam præbeamus. Ira brevis qvidam furor est, & iratus ab insano non differt nisi mora temporis infectum volens esse, dolor qvod svaserit & mens. Vera Charitas nulli novit indignari, nisi tantum sibi, & magni animi proprium, placidum tranqvillumq; esse, & injurias atq; offensiones supernè despicere. Procul absit omnis invidia. Stultitia enim mera est, alterius macrescere rebus opimis Nunqvam poterit esse felix, qvem torqvebit felicior. Amant oculi pulchras formas, nitidos, & amænos colores. Non teneant hæc animam nostram, teneat eam Deus, qvi hæc fecit bona qvidem valdè, sed ipse est bonum nostrum, non ista. Premendi corporis oculi, ut sæpè non videamus, qvod videmus, & fugiamus fornicationem. Urit videndo fæmina, & oculus

lus meretricis laqueus amatoris est. Si quis incidit in amoris incendium, transiliat, & non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullosq; sibi nodos assiduæ nexu meditationis adstringat. Cum impossibile sit in sensum hominis non irruere motum medullarum calore, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui, cum cæperit cogitare, allidit parvulos suos ad petram, & contra eqvos diaboli furentes libidine jungit pias cogitationes. Qui non alligat ignem in sinum mentis suæ, non comburit corpus suum. Gravis ignis libido est, ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Ocio concipitur, pascitur conviviis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Ubi enim caro inebriatur, mens titubat, anima vacillat, cor fluctuat, amor intrat, libido exæstuat, & quem semel comprehenderit, tanquam furiosa domina nec die nec nocte requiescere finit, exagitat, urit, incendit, & transiens velut umbra homi-

nem illudit. Libertate vero innocentiæ semel amissa jugo quodam criminum deprimitur conscientia, sibi ipsi gravis pæna, & carnifex in sinu, & quanquam latere ac velare se cupit, semper tamen apud Deum est nuda. Cohibendæ manus, ne alteri præripiant suum. Victus à nobis comparandus, ne opus habeamus aliena vivere quadra, sine damno ac læsione proximi, & cibo ac potu cum modo utendum, qui sanitati conveniat. Victus moderatus & tempestivum exercitium duo sanitatis fulcra sunt, inedia & insomnia corpus debilitant: Ebrietas judicium rationis obfuscat, robur & naturalem virtutem enervat. Delitiæ quælibet si absq; desiderio percipiuntur, non officiunt, & viles, si appetenter sumuntur, impediunt profectum abstinentiæ. Nam non cibus, sed appetitus est in vitio, & non qualitas ciborum, sed eorum cupiditas improbatur. Simplici cura constant necessaria, in delitiis laboratur, & quemadmodum deli-

delicatas res desiderare, luxuriæ est, ita usitatas & non magno parabiles fugere, dementiæ est. Qui habet officium, justè administret illud, non abjiciat, qui opificium, dexterè exerceat. Sicut simia in tecto sedet ad sui derisionem non honorem, sic homo nulli rei utilis non est quid, sed quasi quid, & majora viribus aggrediens aliis se ad deridendum propinat Omnibus animalibus quæ natura irrationabilia sunt, terra pabulum ministrare jussa est, solis hominibus, ut rationabile, quod acceperunt, ad usum transferant, vitæ cursi in labore præscribitur, ne ignavo ocio se dedant, & nihil agendo malè agere discant. Quemadmodum agri proferunt spinas, tribulos, & cætera inutilia, nisi fuerint utilibus seminibus seminati, sic homines, nisi utilibus se repleverint cogitationibus, spinas & tribulos germinant vitiorum. Non solum labor est in penuria, sed etiam in abundantia, & ubiq; tribulatio. Labor autem iste & difficultas parandi victus ac ne-

gotiorum expediendorum peccati, cujus flagella sunt, nos admonere debent, & ad pœnitentiam invitare. In statu innocentiæ labor fuisset voluptas, & defensio ac custodia rerum jucundissima, quæ nunc plenissima periculi sunt, & nisi adjuvante Deo optatum exitum non sortiuntur. Felices inter omnes, si sua bona norint, agricolæ. Nam in politia & Ecclesiastico statu constitutis præter qvotidiana pericula infinitæ molestiæ objiciuntur, si fideliter officium facere velint. Qui in hac vita sudorem fugiunt, & in ocio commodis suis fruuntur, in altera refrigerio carebunt. Sollicitudo tamen crastini abjicienda, & magis illa quærenda, quæ ad regnum Dei pertinent, ejusq; justitiam, quam temporalia bona. Nam Deus creator, altor, & Servator humani generis nobis ad filiorum honorem cooptatis spiritualia petentibus corporalia quoq; adjicit, & ne vestis, tectum, ac alimenta desint, paternè providet. In Christo replemur omni benedictione

ne in cælestibus, & in ipso ac propter ipsum omnia ad vitam necessaria nobis adjiciuntur. Si sorte nostra contenti sumus Deo gratias agentes, nil majus divina providentia nobis tribuere poterit, scientibus hominem non vivere solo pane, sed de qvolibet verbo, qvod ex ore Dei egreditur. Qvi multa possidet, de multis cogitur esse sollicitus. Avaro majorem curam marsupii habente quam vitæ, & divina ac humana lucro metiente, in summa tamen copia rerum inope, se ipsum defraudante & angente, & aliis iniquo nihil scelestius. Sæpè exiguum lucellum fraude quæsitum magnas opes evertit, & plura concupiscendo etiam ea, quæ habemus, amittimus. Tempore crevit amor, qvi nunc est summus, habendi: Vix ultra qvo jam progrediatur habet. Omnes rapimur extra metas necessitatis, & capimur miserabiliter, qvia omnes peccatores homines sumus, & imperfectos nos vident oculi Dei. Ipse vero est, qvi emundat nos ab occultis nostris,

& evellit misericorditer. Nisi ille miserando præveniat impios, non est, quod glorificet pios. Ante lapsum nullus erat in corpore motus, cui verecundia deberetur, nihil homo putabat velandum, quia nihil sentiebat refrænandum. Post lapsum, rebellione adversus rationem in carne excitata, tam Adamus quam Eva, cum ruborem, quem mutuo se conspicientes de se habuerunt, ferre non possent, verecundati consuerunt folia ficus & perizomata sibi fecerunt. A Deo postea data est illis vestis pellicea ad tegendum nuditatem & turpitudinem, tanquam monitorium & insigne miserrimi sui lapsus, & amissæ felicitatis. Mundus vero & malorum ex quibus erepti sumus, & bonorum, quæ à Deo accepimus, oblitus, in hoc signo insanire cæpit. Quos enim bonorum virorum oculos non offendit ista vestium leviras, quæ nunc in vsu. Magis cultui vestium insistitur, quam virtuti, quæritur ad induendum non quod utilius,

sed

sed quod subtilius invenitur, non quod frigus repellit, sed superbire compellit. Non tanto studio curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta esset mens inculta virtutibus. Comam alere & barbam radere, & naturæ rerum repugnat, & formæ. Est enim barba ipsa quodammodo dignitas & forma viri. Voluptas pulchra, suavia, lepida, lenia sectatur, curiositas etiam his contraria, non ad subeundum molestiam, sed tentandi causa, ad experiendi noscendiq; libidinem. Qui ab ea capiuntur, vanis, ignotis, ac prohibitis rebus & artibus studium atq; operam suam consecrantes miserè decipiuntur, & alios decipiunt. In summa sapientiæ abundantia de ignorantia quæstus est Salomon, & nos parum proficientibus studijs hic ævum consumimus, & nequicquam obscuris viarum ambagibus scientiam quærimus. Sed præstat per modestam ignorantiam desistere, & naturali rationis beneficio contentos necessaria discere, & animum inten-

dere iis, quæ saluti deserviunt, quam sudoribus laborumq; molestiis incertam vitæ hujus scientiam mercari, qvam nobis mors gratis datura est futuræ glorificationis appendicem. Quamtumcunq; scimus, multo tamen plus est, quod nescimus, & etiamsi omnia noverimus, non propter illa sumꝰ beatiores, sed propter Deum solum beati sumus, si cognoscentes eum sicut Deum glorificemus, & non evanescamus in cogitationibus nostris. Plus scire velle, quam sit satis, intemperantiæ genus est, & bona res malè ea utenti ad nihil prodest. Constringendi potius pedes nostri, ne viam peccatorum ambulent, tortuosi serpentis anfractus, ne dubio vacillent lapsu, instabilesq; turbent lubrica plantas, sed per plana firmo gradiantur gressu, & prævio supernæ lucis fulgore & splendore nos deducant in veritatis arcem. Nunquam ne in Dei gloriam quidé, multo minus in hominis cujus piam gratiam aut salutem mentiendum aut falso jurandum est. A veritate enim

discedere injustitiæ pars est, quam charitas non admittit vel agnoscit. Errare, labi, falli ac decipi humanum est, & malum pœnæ, mentiri diabolicum & malum culpæ. A mendacio immunis non est, qui nutibus aliquod falsum signare intendit. Impius uterq; & iræ Dei reus, & qui mendacium profert, & qui veritatem occultat, quia ille nocere desiderat, & hic prodesse non vult. Si omnes homines veritatem loquerentur, innumeræ lites, rixæ, jurgia, bella ac prælia inter homines cessarent. Decet autem maximè Christianos non minus in verbis & sermone veritatem, quam in matrimonio castitatem servare & colere, veras virtutes amplecti, vitiis non adulari, aut falsa nomina imponere, & in titulis dandis ac mutuis salutationibus à vanitatibus mundi & mendaciis, quibus non solum manus, sed etiam pedes osculandi promittuntur, abstinere, & more majorum ac Apostolorum cognatis, vicinis atq; amicis omnia fausta & felicia precari,

cari, præsertim quando Deus suam illis præstat benè vivendi misericordiam, & virtutes exercendi gratiam. E longinquo reduces salvi & incolumes cum lætitia excipiendi, obvii humaniter salutandi, & qui nobis gratulantur aut gratificantur, iis gratiæ agendæ sunt. Benedicimus nos hominibus bona illis à Deo optando: Deus creando dicens & benedicendo benefaciens, sua nobis benedicendo efficaciter munera tribuit. Qui studio fugit benedicere pravo, nullus illi cupiat ac dicat benè. Nonnunquam rebus licitis sive mediis intempestivè pro sua libertate utentes, scandalum committunt, si nimirum infirmi in fide, quibus parcendum erat, exinde offenduntur. Quod neq; contra fidem, neq; bonos mores injungitur, indifferenter habendum & pro eorum inter quos vivitur societate servandum, & nulla civis aut peregrini libidine vitiandum est. Turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens. Neq; obsunt saluti credentium diver-

diversæ pro loco & tempore consuetudines aut Ceremoniæ cum nullo periculo conjunctæ, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest, uni Deo commendat omnes. Quod ita accipiendum, ne tanquam aliorum imitemur mala exempla, nec nostram ipsorum quæramus utilitatem, sed multorum, ut salvi fiant. Qui ob levem vel nullam causam, sive id ex malitia fiat, sive vanæ gloriolæ aucupandæ gratia, in vitæ periculum se ipsos conjiciunt, & flammis committunt, homicidæ sunt, & verendum, ne ab igne ad ignem transeant. Nam externa professio & confessio fidei facienda, si alioqui subtrahatur honos Deo & utilitas proximo, & non minus earum rerum, quæ ad religionem spectant, quam civilium prudentia moderatrix esse debet, ne incauti in propriam fossam ruamus, & Sathanas de nobis triumphum agat. Qui amat periculum, peribit in eo, & qui Deum tentat, hunc vicissim in periculo destituit. Totius vitæ nostræ ratio ita

instituenda, ut Dei solius gloriam intendamus, Christum sequamur, ut ministri ipsius, nostra potius agamus quam aliena, inimicos charitate superemus, carnem nostram ad officia divinæ obedientiæ cogamus, Christi humilitate & mansvetudine ob oculos posita mundi contumelias sufferamus, & deniq; per patientiam in cruce triumphemus, ac in Domino confortemur. Si ita vixerimus, neq; nobis ipsis graves, neq; aliis molesti erimus, & ab omni scandalo alieni. Justus enim scandalum non dat, & cujus affectus magnus & infirmus non est, scandalum non patitur, quod pusillorum tantum est exagitari scandalo. Cæterum qui perversis suis moribus infirmæ mentis infantiam conturbat, aut doctrinam corrumpit, aut quibuscunq; hominibus peccandi occasionem præbet, portabit judicium, quisquis fuerit. Nam de hoc scandalo verissimè dicitur, illud peccatum gravius esse, quam certum aliquod genus criminis delinquere.

Neces-

Necesse est, inquit Christus considerans iniqvam & perversam conditionem hominum, & Sathanæ indefessum studium in excitandis & gignendis offendiculis, ut veniant scandala, verumtamen væ homini, per quem scandalum venit. Satius & utilius esset, illum lapidi molari alligatum in profundum maris projici atq; demergi, propter gravissimam in novissimo die judici vivorum ac mortuorum de taliter seductis & offensis rationem reddendam, & nisi pœnitentiam egerint, pœnam sustinendam.

De Prædestinatione.

Caput XXVII.

PRædestinationis nomine non aliqva voluntatis humanæ coactitiâ necessitas exprimitur, sed misericors & justa futuri divini operis sempiterna dispositio. Nam prædestinare nihil aliud est qvam decernere salutem, & nefas est dicere Deum aliqvid prædestinare

nare nisi bonum Mala quidem præscit Deus, sed non prædestinat, & sicuti peccati author non est, ita neq; damnationis hominum causa, neq; nostris viribus asscribendum, qvod revera illius gratiæ est ac misericordiæ. Electio significat ipsum decretum de salute nostra. Etsi autem dubium nullum est, Deum prævidere ac ordinare omnia, nostrum tamen est, non hærere in illis speculationibus de electione, sed sustentare nos promissione. Sinceriſſimè credendum ac profitendum, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, qvi per misericordiam qværunt salvari, siqvidem Apostolus sollicitè præcipit, ut pro omnibus hominibus supplicetur. Promissiones enim gratiæ sic oportet amplecti, ut nobis in verbo Dei generaliter proponuntur, & voluntas Dei in nostris actionibus ea seqvenda, qvam revelatam habemus. Per Evangelium omnes ad regnum cælorum vocamur, & mors Christi est unica & perfectissima pro peccatis victima abundè

suffi-

sufficiens ad totius mundi peccata expianda. Quod vero multi per Evangeliũ vocati non resipiscunt, neq; in Christum credunt, sed in infidelitate sua pereunt, non fit hostiæ Christi in cruce oblatæ defectu vel insufficientia, verum propria ipsorum culpa. Quemadmodum agricola in votis habet, ut omnia grana seminis in agrum sparsa fructum ferant, ita Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire, qui propter salutem nostrã æterno consilio dedit & distribuit singulis temporibus propria cælestia bona super terram. Manifestavit enim Deus se primis parentibus nostris per verbum suum, promissione facta de venturo Messia contrituro caput serpentis, patribus repetita & lege Mosaica adumbrata, & à Christo Jesu in tempore plenitudinis adimpleta, & omnia concluſit sub incredulitate, ut omnium misereatur, manente justitia. Omnes aliæ nationes suo permissæ sunt judicio & voluntati, quia ipsa

natura

natura cognoscitur justitia, & opus legis scriptum est in cordibus hominum. Cælum, & terra & omnia, quæ in illis sunt, dixerunt eis, ut Deum amarent, qui nunquam bonitatis suæ dona illis subtraxit, ne haberent ipsæ, quod conquererentur. Populus Israëliticus legem accepit, speciali cura & indulgentia electus, ut ejus tenore frenaretur. Sed cum naturalis authoritas vinceretur consuetudine peccandi, & populus Dei non se cohibens reus teneretur à lege, prædicata est misericordia, quæ ad se confugientes salvaret. Sic Deus omnia concluſit sub incredulitate omnes convincens ac redarguens, ut decretū donum veniret, quando omnes diffidentia laborarent, & gratia muneris esset gratissima, omnibus hominibus oblata cum resipiscentiæ ac fidei mandato. Lege naturæ omnes fideles ab Adamo ad Moysen, lege scripturæ Moyses, populus Israeliticus, & qui ei adhæserunt ac se aggregarunt, lege gratiæ omnes christiani salvati sunt, sal-

salvantur & salvabuntur, non tamen nisi per Dominum nostrum Jesum Christum agnum immaculatum ab origine mundi in divina mente occisum, ut virtute sanguinis ejus salvarentur omnes. Venit enim Christus in hunc mundum ad faciendum medicinam corruptissimo seculo, & simul cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam afferendum. Aliud nomen non est datum, qvod homines salvos præstet, quam Jesu Christi ministri circumcisionis propter veritatem & certitudinem promissionis Judæis factæ, gentium ministri propter misericordiam, quia promissionem nullã habuerunt. Qvo mysterio innotuit qvidem nobis, qvid factum sit, qvid fiat, qvid faciendum sit, sed qvo consilio, qvove judicio Deus ideo omnia in incredulitate concluserit, ut omnium misereatur, ab humanæ intelligentiæ contemplatione subtractum est. Apostolus Paulus refert ad Dei præscientiam, liberam voluntatem, misericordiam, justitiam,

& sapientiam à nobis admirandam non perscrutandam. Quod vero statim in exordio mundi homines se à Deo averterunt, cupiditatibus suis & Diis fictitiis servientes, & populus Dei in eum, quem lex solum ad justitiam sufficere promiserat, non credidit, & Christiani relicto Christo in terrenis suaviter ac jucundè acquiescunt, & ultrò se eunt perditum, non Deo aut sterilitati verbi ipsius, sed perversæ hominum voluntati ac reprobo solo, & Sathanæ corda eorum ad omne nefas instiganti, atq; juxta triticum zizanium suum spargenti & seminanti tribuendum ac imputandum. Quantocunq; Deus desiderio humanæ felicitatis feratur, & accensa pura luce Evangelii homines quærat, vocet, excitet, ut salutem oblatam amplectantur, pleriq; tamen alias res agentes obsurdescunt, neq; audiunt ea, de quibus admonentur. Perversi enim difficulter corriguntur, & stultorum infinitus est numerus oculos claudentium, ne videant lucem

cem, & obnubilationem mentis ac tenebras, quas in inferno perpetuo passuri sunt, præ se ferentium. Itaq; quasi vereantur, ne damnari non possint, si audiant, & ne illis illucear Spiritus Dei, & manus ejus vocantis prehendat, & ad purioris vitæ studium deducat, se ipsos in tenebras conjiciunt, & carnis illecebras ac cæcam voluptatem suam æternæ saluti præferunt, veluti muta animalia propter modicum vitæ corruptibilis delectamentum mortem animæ incurrentes. Hi, rebellis populus, tantum abest, ut Deum quærant, ut Deum ipsum se quærentem aversо vultu refugiant, atq; ex cordibus suis illum expellant, qui nihil magis desiderat, quam sua præsentia illos exhilarare inq; cordibus eorum habitare, cujus delitiæ sunt esse cum filiis hominum. Deus æterna veritas promittit servis suis summa, cælestia, ineffabilia & æterna bona, & torpescunt mortalium corda. Mundus fallax & mendax promittit suis parva, fluxa,

fluxa, caduca sive temporalia bona, & servitur ei aviditate magna. Qvi immoderata in illa inclinatione feruntur, deserentes Dominum Deum, & veritatem ejus, & legem ejus, & se, ac cæteras voluptates, sublimitates, veritates in iis qværunt, irruunt in dolores, confusiones & errores. Sunt qvidem pulchra & decora terrena & ima bona, sed præ bonis superioribus & opibus beatificis abjecta & jacentia. Deus enim, qui fecit illa omnia, est bonum nostrum, in qvo delectatur justus, & cui exultandum omnibus bonis, qvæ nobis dedit, qvia & ut simus, ipse nobis dedit. Amamus & volumus omnes vitam beatam, qvæ nihil aliud est, qvam gaudium de veritate, qvam & ipsam amamus. Non amaremus autem, nisi esset aliqva notitia ejus in memoria nostra. Cur ergo de illa non gaudemus? Cur non sumus beati? Qvia fortius occupamur aliis, qvæ potius miseros nos faciunt, qvam illud beatos, qvod raro & tenuiter meminimus. Æternitas nos delectat

ctat ſuperius, ſed temporalis boni voluptas retentat inferius, illam veritate præponimus, hanc familiaritate non ponimus, & in ea acquieſcentes tenebras magis qvam lucem amamus. Pertinet hoc ad magnam miſeriam noſtram, qvod profundiore carnalium voluptatum gurgite demerſi & excæcati cogitare non poſſumus lumen honeſtatis & gratis amplectendæ pulchritudinis, qvam non videt oculus carnis, ſed videtur ex intimo. Nam Deus vera & ſumma ſuavitas omni quidem voluptate dulcior eſt, ſed non carni & ſangvini, omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior, omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Ut autem damnabilis eſt impiorum voluntas gratiam Spiritus Sancti per Evangelium vocantis non amplectentium, &, ſi à Deo receſſerint, ſe aliqvid melius habituros ſperantium, ita nil melius, nil ditius bona voluntate, qvæ adhuc tantæ libertatis eſt, ut in vitium cogi non poſſit, Deo offerri à

nobis

nobis potest. Bona enim voluntas Deum ad nos deducit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus ad Deum pervenimus, & eum possidemus. Bona voluntas illius summæ Majestatis Trinitatem ad se inclinat. Sapientia namq; ad cognitionem veritatis illam illuminat, charitas ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in ea custodit, quod creavit, ne pereat. Deus affectum exigit, qui in nostra potestate est, & quicquid volumus & non possumus, factum putat. Ipse vero nequaquam deserens cæpta sua omnes bonas cogitationes nostras & omne bonum desiderium nostrum in perfectionē deducit, & imperfecta nostra consummat, præoccupans, qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat, & præveniens eos misericordia sua. Communis enim omnium opifex ac Pater Deus, qui quæ nos gerimus auditq; & videt, æqua retribuit voluntati ipsum quærenti ac piè vivere cupienti, eiq; fructum aliquem

quem largitur sui patrocinii. Sol justitiæ omnibus ortus est ex virgine & bonis & malis, sicut & solem suum oriri jubet super bonos & malos, sed illos respicit ac fovet, qui appropinquant sibi, & animam suam aperiunt & repandunt, & tanquam lumini occurrunt, & quos respicit ac fovet, eorum cor penetrat atq; mutat. Deus Pater omnium potestate qua creavit, sed eorũ propriè, qui ipsum diligunt & colunt, fecit in prima creatione hominem purum, rectum, & pravitate carentem, deificandum inclinatione seu nutu ad Deum: deificandũ autem participatione divinæ illuminationis, & non translatione in divinam substantiam. Etiam post lapsum Deus Spiritus concupiscit decoré animarum in Spiritu ambulantium, & abstinentibus ab omnibus reb⁹, quibus ille offendi potest, & in operibus pietatis se exercentibus Christus Dominus libenter se offert, & per fidem spiritualiter eos sibi conjungens promissionum suarum participes facit,

qui

qvi promissa sua in cælis, in ipsa voluntate Dei, qva misertus est humani generis, præparata mirabiliter homo factus adimplevit, & in benedictissima passione sua perfectissimè nobis exhibuit. In illum credentibus prædestinata est à Deo cælestis hæreditas, & donatur fides, ut prædestinati habeant instrumentum, qvo beneficia ex prædestinatione promanantia sibi applicare, & corporis ac sanguinis Christi, divinæ naturæ, omniumq; bonorum Christi, justitiæ, vitæ & salutis æternæ participes fieri possint. Infideles & impænitentes vasa iræ tolerantur, & finaliter reprobantur. Etsi autem Deus malas quoq; voluntates potest convertere, qvando vult, tamen, cum eas non convertit, justè facit, & cum eas convertit, mera sua gratia & misericordia id facit. Nihil cuipiam debet Deus, sed debita pæna redditur damnato, indebita gratia liberato. Nullum est hominis meritum in accipienda gratia ad salutem, ne qvis glorietur, sed unius Dei bonitas

tas & misericordia causa nostræ electionis, ut damnationis æternæ incredulitas, & prava atq; perversa sive potius aversa impiorum voluntas. Deus consolator pauperum & susceptor humilium cognoscens omnes homines in veritate præscientia sua definitum habet, qualis uniuscujusq; sit futura voluntas, per quam aut coronetur, aut damnetur Miseretur ejus, cujus præscius est, quod ei misericordiam daturus sit, sciens conversurum se illum, & in bono mansurum. Non dat illi, cui dandum non est, neq; non dat illi, cui dandum est Quos Deus elegit, in illis propositum Dei manet, quod aliud non potest evenire quam Deus scit & proposuit in illis, quod salute digni sunt, & in illis, quos sprevit, simili modo manet propositum, quod propositit de illis, qvia indigni erunt. Nec refert, quod illi, quos Deus scit in bono permansuros, frequenter antea sunt mali, & quos malos scit permansuros, aliquando prius sunt boni. Deus enim

non est acceptator personarum, sed inspector cordis, non qvæ foris sunt, probat, sed, qvæ intus sunt, examinat, non de præscientia sed de justitia judicat, non secundum vitæ speciem & humanam apparentiam, sed animi puritatem & virtutis veritatem, non initia sed finem universorum considerans, & non nisi perseverantibus dans felicitatem æternam. Æqualis est statera Dei, æquale judicium ejus. Saul, Judas antea boni, in fine mali reprobantur, David ante malus in fine bonus salvatur. Multi sunt vocati: pauci vero electi, nimirum illi soli, quos præscientia Dei salvandos decrevit, non qvod apud Deum præscia sit nostræ conditionis determinatio, sed tantum brevissima ejus voluntatis sententia, qua Deus ab æterno constituit & decrevit illos duntaxat salvos facere, quos acta pœnitentia in Filium mundi redemptorem perseveranter credituros vidit ac præcognovit. In Christo enim via posita est humanæ salutis ad eam vitam,

tam, qvæ post mortem futura est, & nihil certius, qvam qvod Deus elegerit sua misericordia omnes, qvi unigenito Filio Dei confidunt, & cum semel Evangelium ejus per fidem acceperunt, semper in ea fide perseverant, manentes in sermone Jesu. Per Christum Deus elegit nos, anteqvam jacerentur fundamenta mundi in sortem ascitos & prædestinatos secundum propositum ejus, cujus vi fiunt omnia, ex consilio voluntatis suæ, ut per nos laudetur, & celebris reddatur gloria ipsius. Dominus Jesus Christus liber cælestis vitæ est, in quem qui per fidem inscripti fuerint, dubium non est, qvin sint in ipso corde Dei inscripti, & ad congregationem cælestium civium pertineant. Qvi autem credunt in Christum, diligunt Christum, & qui diligunt Christum, sermonem ejus & mandata servant, & Pater cælestis diligit illos, qvi misit Filium suum in mundum, ut omnes audiant ipsum. Qvis à Deo separare potest, qvos ille diligit? aut

ubi firma nisi apud Deum securitas? Christus verba vitæ æternæ habet, & nos cognoscimus & credimus, qvod ille est Christus Filius Dei vivi, qvi medicamenta fidei confecit & aspersit super morbos generis humani, & tantam illis authoritatem & efficaciam tribuit, ut omnes, qvi cupiunt & volunt, credendo illis sanari possint. Curantur & docentur boni ac simplices, qvi cor habent ignorantia obcæcatum, relinqvuntur mali, qvi cor habent malitia induratum, in tenebris suis, qvas sibi elegerunt. Neminem Deus spernit, neminem abjicit, neminem perhorrescit, nemini gratiam suam denegat, nisi qvi se ipsum indignum ea existimat, & per incredulitatem ac impœnitentiam ab ea excludit, neminé deserit, priusqvam deseratur, & multos sæpè desertores convertit. Qvid cunctamur igitur nos totos, relicta spe seculi, conferre ad qværendum Deum & vitam beatam? Qvid, malum, hæsitamus mori morti & vivere vitæ? Si in nobismet ipsis

ipsis non possumus, projiciamus nos in Dominum Deum nostrum, non se subtrahet, ut cadamus. Projiciamus nos securi, excipiet & sanabit nos, qvi solus facere mundos de immundo conceptos semine, & ipse mundus non nisi à mundis cordibus videri & haberi potest. Mundat ille omnes, in qvibus complacuit ipsi habitare, effundens super eos aqvam mundam, qvos sine meritis eorum prædestinavit ante mundum, vocavit per verbum suum de mundo, justificat in mundo, & magnificat post mundum. Elegit eos ex omni genere hominum, cujuscunq; status & conditionis, reges, privatos, nobiles, ignobiles, divites, pauperes. Nam etiam in vilissimo vitæ genere Christus habet suos, alterum sibi vendicat, alterum abjicit. Et licet facilius sit, camelum sive rudentem per foramen acus transire, qvam divites regnum cælorum ingredi, nonnullos tamen ex iis quoq; salvos fieri in confesso est, eos nimirum, qvi Christum per fidem complectun-

tur, & divitiis recte utuntur. Nullum enim in facultatibus crimen hæret, sed in illis, qvi malè acqvirunt & partis nesciunt uti, cor ad divitias apponentes, & spem suam potius in incertis divitiis, qvam Deo vivo, qvi præstat nobis abundè ad fruendum, collocantes. Res possessa est, qvalis à Deo condita, sed possessor est alius, qvam à Deo conditus. Vitium non est in bonis, sed in possessore. Qvicqvid vitii est, in corde est, qvod totum nolle est, qvod Deus vult, & totum velle, qvod Deus non vult, id si curemus, ut rectum sit, omnia habebunt rectè. Nam Deus nihil præter cor æstimat, hoc solum intuetur & spectat in homine, & ex fide ac incredulitate vel salvat vel damnat omnes. Ipse probat corda nostra, & dividit inter filios lucis & diei, & filios noctis ac tenebrarum, & discernit eos in veritate ordinis sui, ex eadem massa alios vasa in honorem, alios in contumeliam. Judicium pœnale absq; omni iniqvitate ingeritur damnatis, & misericordia

ricordia præstatur indignis, partim ut Deus suam misericordiam, partim ut suam justitiam ostendat in hominibus, & Deus utrobiq; glorificetur. Qvi vero pereunt, suo merito pereunt, qvod noluerunt vera fide amplecti Jesum Christum, qvi non minus pro ipsorum peccatis crucifixus & mortuus est, qvam pro peccatis omnium sanctorum: qvi salvantur, gratia Dei salvantur. Nam donum Dei vita æterna est in Christo Jesu Domino nostro, & prædestinatio multis causa standi, nemini causa labendi. Ut igitur magnus Dei cultus est fides, ita maximum peccatum incredulitas & infidelitas. Differunt in eo, qvod fides non est à nobis ipsis, ut incredulitas est ab impiis proprium illorum voluntatis opus, ex qva tanqvam sua & propria causa fluit ac oritur. Sed fides est à Deo, & Dei donum, & qvos Deus bonos & fideles facit, hos elegit, qvos reprobat, non facit malos sed invenit. Qvod nos à Deo avertimus, nostrum est: qvod vero ad Deum nos con-

vertimus, nisi ipso excitante & juvante non possumus, & hæc est voluntas bona. Deus autem sive per misericordiam cujus vult, misereatur, sive per judicium, qvem vult, obduret, nec iniq; aliquid facit, nec nisi volens quicquam facit, & omnia quæcunq; vult, facit, & nos quod utcunq; vivimus, & quod beatè vivimus, non nisi gratiæ ipsius debemus. Deo, qui solus simpliciter est, & cui non est aliud vivere, aliud beatè vivere, nihil deest ad bonum, quod ille sibi ipse est, & neq; in deterius neq; in melius commutari potest: nobis vero restat converti ad eum, à quo facti sumus, & magis magisq; vivere apud fontem vitæ, & in lumine ejus videre lumen, & perfici, & illustrari, & beari. Non tamen propterea dubia & incerta est piis sua electio. Fides enim divinum fundamentum, quo salus nostra fulcitur consistit, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt sui, & testimonium de electione sua reddit cuiq; electo invenienti se in Christo

per

per fidem Spiritus Sanctus. Nemo vero in prædestinatorum numero se esse præsumens efferatur animo, & securè vitiis indulgeat, aut sibi a vitiis non caveat, sed videat, qui stat aut stare sibi videtur, ne cadat, & salutem suam cum timore quisq; fidelis operetur, tenens id, quod habet, & operam dans, ne gratiam Dei frustra acceperit. Stantibus Deus, si ceciderint, minatur pœnam, lapsis, ut resurgere appetant, promittit misericordiam. Illos terret, ne præsumant in bonis, hos refovet, ne desperent in malis. Qui justus est, iram pertimescat ne corruat: peccator præsumat de misericordia, ut resurgat: Uterq; nihil horribilius existimet, quam in eo statu vivere, in quo non audeat mori.

De morte temporali.

Caput XXVIII.

ETsi vitam, quam hic vivimus, plenam miseriis, erroribus ac periculis,

lis, mortem appellare nolumus, tamen nihil aliud est, quam iter sive cursus ad mortem. Ex quo enim incipimus vivere, incipimus mori, & ipse brevis nostrarum ætatum cursus magnum nobis affert fastidium. Puer adolescentiam desiderat, adolescens sibi annos majoris ætatis exoptat, juvenis beneficio florentis ævi ingratus senilem honorificentiam concupiscit. Nulla vero ætas servat, ut deceat quod agit, & conveniat, atq; quadret sibi ordo vitæ suæ. Pleni cupiditatibus infantes in hunc mundum veniunt, fragilitatis suæ conditionem ploratibus ominantur, & non sine tædio parentum educantur. Pueri globulis ludunt, jurare assuescunt, & innatam malitiam exercent. Adolescentes chartis lusoriis & alea multo deformius ludunt, quanto in arte meliores, tanto nequiores, ocium & delitias quærunt, ac cupiditatibus suis serviunt. Viri opibus & pecuniæ inhiant, honores ambiunt, & se mundo natos putant. Senes virilis ætatis

studia

ſtudia acrius promovent, congerunt bona incognitis hæredibus, ut habeant illi, quod liberali profuſione profundant ac dilapident, & non canis atq; altis cogitationibus, ſed congeſto gaudent auro, & partis honoribus. Sic ſenectus bonis moribus dulcior, conſiliis utilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendum paſſiones & libidines firmior, quæ vitæ priori portus eſſe debebat, fit naufragium, & omnibus eam inſequentibus iniqvum & pernitioſum exemplum. Natura eſt enim juvenum vivere ad exempla, atq; loco recti, quæ cauſa malorum noſtrorum non minima eſt, errores publicos tenere. Tumultuamur temerè omnes, ſperamus incerta, metuimus contemnenda, concupiſcimus mala, agimus prava, quæ non licent, turpia, quæ non decent, & in vanitatibus à parentibus enutriti avita quadam regula vitia virtutibus anteferimus, nunquam non in vanum laborantes usq; dum morimur. Vanitas eſt ſollicitudo vitæ

hujus, & in vanitate currunt, qui opibus & divitiis affluunt, & sibi applaudunt, simul ac nummos contemplantur in arca. Sunt enim bona temporalia vaporibus similia, qui cum manè elevantur, etiam ipsum solem obnubilant: paucis vero horis interjectis evanescunt, neq; illorum quis potest reperire vestigium. Omnia insuper in hoc mundo luctuosa & deceptionibus plena sunt, & nulla res, in qua non reperiatur aliquis defectus, nullus locus, in quo non sit, qui adversetur. Risus error est, gaudium in puncto præterit, & vanum ac breve omne humanum solatium. Qui autem in Domino exultat, verum gaudium habet, & firmissimo inhærens fundamento non commovetur, eo felicior, quo minus de mundo habet, unde possit superbire, & quanto longius ab omni humano solatio recedit, tanto magis Deo appropinquans. Vera enim pax non in terris, sed in cælis, non in hominibus, nec cæteris creaturis, sed in solo Deo quærenda. Vera

gloria

gloria & exultatio sancta gloriari in Deo & non in se, gaudere in nomine Domini, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, nisi propter Deum. Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ comparata vanitas sunt & stultitia. Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum, & illi soli servire. Ut lætam, honorabilem, & quietam vitam agere possimus, honores, divitias ac voluptates quærimus, sed vanum est fundamentum nostrum, vana quæcunq; superstruimus, quia vitæ nostræ potestatem non habemus. Idcirco in nulla alia re magis, quam in cognitione cælestium præceptorum & consideratione operum Dei, ad quæ nos non oportet esse stupidos instar mulorum & equorum, in quibus non est intellectus, ætatem nostram consumere, & temporalia in usu, cælestia in desiderio habere debemus. Vitam enim beatam, tranquillam, & suavem sola præstat sapientia

pientia & virtus, quibus nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil stabilius, quippe in hoc & futuro seculo nobiscum permanentibus. Si desideratur vita, diligatur vera, si diligitur vera, quæratur vera, quam Christus dat ovibus suis puro, humili, ac simplici corde Pastorem suum sequentibus, ne pereant in æternum. Amamus omnes beatam vitam, sed timemus illam in sede sua, & ab ea fugientes quærimus eam. Nunquam autem reperiri potest, quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur. Per gratiam Dei fide mediante illam consequimur, in hac vita pœnitentiam agentes peccatorum, vaporem inanem seculi divitias reputantes, & in omnibus Deo potius placere, quam nobis ipsis totis viribus contendentes. Qui curas suas ad corporis voluptates vel mundi vanitates dirigunt, & in iis laborant, quæ sibi morituris prodesse non possunt, Dei Omnipotentiam, Majestatem, & misericordiam in hoc seculo non considerantes,

&

& peccare pro nihilo ducentes, in tenebris ambulant, & à quibus beatitudinem petunt, per eas in summam miseriam deveniunt. Justè illis fit, ut, quia inordinate delectationes quæruntur & sequuntur, non sine amaritudine & confusione eas expleant. Ad Deum, qui neminem fallit aut frustratur, nec confidentem sibi dimittit inanem, mens nostra vano & stulto creaturarum amore & insaniis mendacibus relictis, erigenda, in quo vera, una, & æterna felicitas, unicè à nobis desideranda. Nihil vero æqui proficit ad elevationem mentis in Deum, & amorem ac desiderium vitæ æternæ in nobis excitat, quam cogitatio brevis ævi & hujus incerti. Dum ad mortem properat corpus, ad exitum è corpore properat anima, & mirabiliter per varios casus præceps volvitur rota vitæ nostræ. Quicquid autem accidit, semper mors respicienda, cujus assidua meditatio nobis vita est. Utcunq; in diem vivimus, mortis tamen

tamen hora constituta est cuiq; à Deo, quæ non sola mortem facit, sed consummat. Non repente in mortem incidimus, minutatim procedimus, quotidiè peccamus, quotidiè morimur, & tunc quoq; cum crescimus vita decrescit, morte singulis horis nobis appropinquante. Mors sequitur hominem, quocunq; se vertat, ut umbra corpus, & quantocunq; vitam longiorem agit tanto propius mors illum comitatur, deficientibus magis magisq; diebus, quibus vivit. Quanto enim plus vivit, tanto minus habet, quod vixit, & quanto longioris vitæ est, tanto morti propior. Commorandi nobis Deus diversorium dedit, non habitandi, & tam naturale est mori, quam nasci. Quisquis enim ad vitam editur, ad mortem destinatur. Mors corporis necessaria est, mors animæ voluntaria. Omnia alia fortasse fiunt, vel non fiunt, sola illachrimabilis ac immisericors mors certa est, utut incertum, quando, ubi, & quomodo nos furibunda invasura

sura sit, & sibi ipsi eam quemq; consciscere nefas. Vetat enim Deus nos injussu suo hinc demigrare. Terra sumus, terram gerimus, terram terimus, quid mirum igitur, si in terram revertamur, & terra, quæ & ipsa mortalis est, repetat, quod ipsa nutrivit? Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidiè se disponit, siquidem nihil magis homines à peccatis revocat, quam imminentis mortis cogitatio. Mors ipsa est segregatio animæ à corpore, qua anima abit in locum ipsi à Deo deputatum, corpus in terram, de qua sumptum est, revertitur, ut somni specie, ubi à mundi labore requietum fuerit, vigor nobis vivacior refundatur. Per mortem tanquam januam omnes ex hac vita egredimur, & melior est dies mortis, quam dies nativitatis. Nam nativitas est ingressus ad miseriam, mors ultima linea rerum egressus è miseria, & alterius vitæ reparatio est. Mors & amor omnia æquant. Dispares summè sunt Deus & homo: amor

mor tamen Dei æquavit hæc duo, & Deus factus est homo, ut homo fiet Deus. Mors stultis & sapientibus intentat arcum, & pari ignobili cum plebe fato purpureos rapit tyrannos, utrorumq; æqualiter falce sua dejiciens cadavera, amatoribus mundi amarissima, in Deum sperantibus pax & securitas. Natura omnes similes creat, & omnes simul claudit gremio sepulchri, cespes angustus æq; pauperi abundat æq; diviti. Nudi egressi sumus de utero matris, & nudi revertimur illuc, & corpus delitiis nutritum datur vermibus, & qui volebat esse supra homines, sub terra reponitur. Statutum enim est omnibus hominibus semel mori, postea autem judicium. Quocirca de stirpe mortali & caduca nemo sibi ponat columen salutis, ut membra liquit spiritus, in suam terrena moles terram abit, & diu consulta vanescunt, & auras irrita per vacuas feruntur. Non solum nos homines, sed etiam opera nostra mortalitas

talitate damnata sunt, inter peritura vivimus. Tempus edax rerum, simul invidiosa vetustas omnia deprimunt, vitiataq; dentibus ævi paulatim lenta consumunt morte. Non enim vacant tempora aut ociosè volvuntur, sed veniendo ac prætereundo alias nobis inferunt species atq; alias memorias, quia rerum mutationibus fiunt tempora, dum variantur & vertuntur species. Ubi vero nec venit quicquam nec præterit, ibi utiq; non sunt dies, nec vicissitudo spaciorum temporalium. Invidia diaboli mors in mundũ introducta est, non tamen sine parentum nostrorum vitio ac culpa. Nam Diabolus, qui habet mortis imperium, persuasit voluntati primorum parentum nostrorũ similitudinem voluntatis suæ, quæ in veritate non stetit, atq; illi obtemperaverunt, & sic peccatum transiit ad omnes homines, & per peccatum mors, sive mortis aculeus, qui est stipendium peccati. Data est inevitabilis mortis sententia à justo judice contra nos, quando Deus primis nostris

nostris parentibus in paradiso dixit: quacunq; die comederetis de ligno vetito, morte moriemini. Hinc mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, regumq; turres, & mixta senum ac juvenum densantur funera. Credentes quoq; in Christum mori oportet, quia habent adhuc peccatum, & mors peccati pœna est, quæ valet, quamdiu viget culpa. Non tamen mors separat illos à dilectione, quæ est in Christo Jesu. Sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. Nullus vero nostrum vivit aut moritur, ut sui vel aliorum sit Dominus, sed omnes sumus alienæ potestatis, Christum habentes & Dominum & judicem. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos Deo adduceret, & mors peccati pœna in remedium fidelibus est conversa, ut lucrum sit ipsis mori, ne amplius peccent. Delicta enim viventium non mortuorum actus sunt, &

mors

mors nemini nocet, si mala vita nobis non noceat Mors in natura non erat, post prævaricationem in naturam introducta pro remedio, in naturam conversa est, de cujus bono nihil plenius dicere possumus, quam quod mundum redemit. Mors nostra janua, qua hinc eximus, mors Christi janua, per quam vitam æternam ingredimur. Ut mortui viverent, Christus mortuus est, & mors ejus peccatorum mortem occidit, ut ipsi Christo moriente vivant, & Christo vivente non moriantur. Quicquid de adventu Christi, de vita, & morte ejus prophetatum est, & opus ad quod venit, cum Patri Spiritum traderet, consummatum est, & nos per mortem ipsius à peccato & morte liberati. Magnum solatium in morte, quod nunquam destituimur dono vitæ planè divino & modis omnibus amabili, etiam cum morimur. Dies enim, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est, & finis præsentis vitæ cum principio vitæ æternæ cohæret.

Pec-

Peccatum igitur fugiamus potius, quam ut mortem timeamus, quæ separat animam à corpore, ne incidamus in illam, ubi anima separatur à Deo. Quid absurdius, quam nescire qui sis, affectare quod non sis, aut quid imprudentius, quod futurum scis, id, cum acciderit, ferre non posse? Non vult educi de carcere, qui non vult exire de corpore. Quid enim aliud corpus, quam vinculum libertati nostræ circumdatum, & animæ carcer? Sicut in densis tenebris iter facientes aut navigantes viæ & locorum ignari maximè expetunt diem & portum, & lætantur visa aurora aut portu apparente, ita omnes verè pii in hujus vitæ caligine expetunt vitam sempiternam, & lætantur, quod per mortem fætidas exuvias sint deposituri. Sublato enim malitiæ semine fructus nequitiæ arescant necesse est, neq; dat fructus arbor, cujus radices excisæ sunt. Optanda mors potius quam fugienda omnibus, qui in Christo moriuntur, à quo

mor-

mortis aculeus est profligatus, & peccatum in nobis extinctum. Ex quo caro verbum factum est, ex quo primi Adami Adamus novissimus sententiam solvit, ex quo nostram mortem sua morte destruxit, jam non est terribilis mors fidelibus. Sentimus quidem in morte adhuc dolorum punctiones, sed quæ nos totaliter non vulnerant, dum fidei clypeus opponitur. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur, & mors nostra ab ipso absorpta in victoriam, ut dominari nobis in altera vita amplius non possit. Obnoxii mortis sumus tantum quod ad carnem, quod ad animam & spem à morte liberi sumus. Quocirca quod mortem metuimus, non mortis vitium est, sed nostræ infirmitatis, & mala opinio de morte. Mors enim malum non est, sed ærumnarum malorumq; omnium perfugium, dolorum finis & solutio, & porta gloriæ servis Dei Ingenti animo provocanda, & cogitatione multa

multa nobis familiaris mors facienda, ut, si ita res tulerit, ei vel obviam exire possimus. Ad immortalitatem enim morte vocamur, nec potest vita æterna succedere, nisi contigerit hinc abire. Non tam est exitus, quam transitus, & temporali itinere decurso ad æterna ingressus. Quanta autem felicitas existimanda est, proficisci ad illum æquissimum judicem, Parentemq; indulgentissimum, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro modicis bonis magna, pro brevibus ac terrenis cælestia atq; æterna largitur. Optima profecto commutatio temporalem plurimis ærumnis plenam cum æterna & perpetuò duratura vita omnibus bonis & ineffabili felicitate insigni commutare, ubi pax erit summa, charitas plena, jubilatio & laus Dei æterna, sine fine secura requies, & gaudium semper in Spiritu Sancto. Nostrum est quærere, & totis viribus desiderare regnum Dei: Dei autem dare. Plangamus ergo peccata nostra, & oculos mentis ad Chri-

Christum unicum Mediatorem inter Deum & homines convertentes humiliter veniam & remissionem eorum postulemus, ut Deus de cælo mittat liberationem, & verè pænitentes & ad Christum confugientes suscipiat in regnum suum nos peccatores. Nil propius est auribus Dei, quam cor confitens, & vita ex fide. Non autem in lectulo divitiarum, somnolentiæ, & pigritiæ invenitur Dominus, nec in mundi vicis ac plateis usuris & cupiditatibus plenis, nec inter homines seculares arduis hujus vitæ negotiis occupatos. Multo minus ibi Deus est, ubi vita porcorum agitur. Sed habitat in nobis, si non repugnemus verbo ejus, & credamus in Christum lumen verum illuminans omnes homines venientes in hunc mundum. Invenit eum fidelis anima aliud præter ipsum Dominum sui amoris præmium non requirens, atq; amara sentiens, quæ ante malè dulcia fuerunt, eaq; prætermittens, jam libera à curis mordacibus ambiendi, &

acquirendi, & volutandi, & scalpendi scabiem libidinum. Facile contemnit omnia, qui semper ad Deum cor sursum erectum habens cogitat se esse moriturum, & mala morte non moritur, qui opera charitatis exercet. Habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri. Quamobrem causa optandi vitam longiorem sola debet esse, ut pluribus benefaciamus, vita æterna, quæ lucrum existimanda, nos incitare ad mortem optandam. Impiis & malè agentibus compendium est citò mori, ne diutius in peccatis versentur, & in inferno eo graviores pœnas sustinere cogantur. Qui adveniente Christo in vivis adhuc erunt, in puncto temporis in momento oculi immutabuntur per extremam tubam, tam pii quam impii, illi ut abjecta mortalitate incorruptibilitatis hæreditatem accipiant, hi, ut debitas pœnas luant, & Christus sit judex vivorum ac mortuorum. Justorũ animæ in manu Dei sunt, postquam sepa-

separantur à corpore, nec tangit illas tormentum mortis, easq; statim in cælum recipi, & associari Angelis, impiorum in infernum detrudi & associari diabolis, ubi tamen utriq; expectent resurrectionem corporum, & nondum assecuti sint id, quod in iis futurum est, credere non prohibemur. Lugere mortuos nostros debemus, sed moderatè, scientes mortem mederi omnibus malis, quæ innumerabilia nos exercent, & sano palato nectar esse, & immortalitatis portionem. Humanum est humanis casibus ingemiscere, & non culpandus affectus, nisi cum modum excedit. Ejulatus vero lugubris ne mulieres quidem decet. Honorare quoq; tumulis sepulturæ, & cæmiteria sive cubicula defunctorum non irreligiosa habere, maximè piorum ac fidelium, qui Spiritus Sancti templa fuerunt: non quod sepultura prosit eorum animabus, sed quod talia officia Deo placent, & viventibus prosunt ad instruendum fidem futuræ resurrectio-

nis. Veteres Romani, Græci præter Spartanos, ut & Hebræi sive populus Dei morem hunc observarunt, ut sibi deligerent sepulchrorum loca extra civitates, in quibus honorificè sepelirentur. Eundem adhuc tenent pleriq; populi & civitates minus periculosum illo, qui ea non modò in ipsas urbes, sed etiam media templa invexit.

De resurrectione carnis.

CAPUT XXIX.

RESurrectio est nova & inseparabilis animæ cum pridem demortuo corpore unio, quæ fiet in supremo die hujus seculi per omnipotentiam divinam. Resurrecturam autem carnem omnium, quicunq; nati sunt, hominum, atq; nascentur, & mortui sunt, atq; morientur, tota Sacræ scripturæ series nos docet, Symbolum Apostolorum credere præcipit, & nemo Christianorum dubitat. Delectatus est Deus in prima creatione hominis, quod

quod tam pulchram creaturam feciſſet, delectatur adhuc in cogitatione ac conſilio ſuo de reſtitutione eorum in ſpiritualem vitam per reſurrectionem mortuorum, qui in Chriſtum crediderunt. Amat enim Deus peccatores ſalvos facere Chriſti ſanguine redemptos, qui in vitam non in mortem à principio conſtituit homines. Licet afflictionibus & morti credentes in Chriſtum ſint obnoxii, quemadmodum & ille fuit, tamen per potentiam Dei vivent aliquando, quemadmodum & ille vivit. Deus vita vitalis, qui ex nihilo cuncta creavit, & per quem omnia vivunt, poteſt nobis vitam, quam ſemel dedit, à nobis per peccatum deperditam, quando vult, reddere; & qui ex nihilo aliquid facere potuit, multò magis id, quod factum eſt, reparare poſſe, credendum. Qui quotidiè è parvo grano & ſemine ingentem arborem & multos fructus creat, poteſt ſecundum efficaciam, qua omnia ſibi ſubjicit, mortuos quoq; ſuſcitare, & in vitam

reducere. Qui parturire fecit virginem, mortuos quoq; resuscitabit in extremo judicii Die. Longius extenditur Dei brachium, quam quo sensus nostri pertingunt. Ideo non ex imbecilli mentis nostræ captu, sed ex omnipotentia divina fides resurrectionis carnis nostræ concipienda. Nihil tam difficile, nihil tam impossibile, quod Deus non possit verbo suo conficere, à Deo nobis in verbo suo promissum, cui facilius est, è mortuis suscitare homines, quam nobis excitare dormientes. Respectu enim potentiæ Dei omnes homines mortui, tam pii quam impii, in sacris literis prædicantur dormire, qui in Christo Jesu obdormierunt, evigilaturi ad vitam æternam, qui absq; fide & agnitione Christi decesserunt, ad opprobrium sempiternum. Floris amœnitas absconditur, non amittitur; ast ubi veris fuerit provocata blandiiis, indumentum germinis resumit. Hirundines in aquis per hyemem mortuæ jacent, æstate reviviscunt. Eodem

modo

modo homo hyeme mortis ingruente moritur, ut nitidior in novissimo die, anima corpori reddita, quæ busto non tenetur, sed pia requie fruitur, resurgat. Mors, quam peccatum meruit, translata est in alteram & ignobiliorem partem hominis, scilicet in carnem, ut spiritus per fidem vivat in justitia Jam caro facta de nobis resurrexit. & ascendit in Capite nostro Christo, secura gaudeant membra, quia à capite suo nunquam deserentur. Christum mortuum facilè omnes credunt, sed laus fidei christianorum est, credere resurrexisse Christum devicta morte, & sperare nos resurrecturos per Christum, cujus membra & caro sumus, & in quo sanguinis nostri prærogativam habemus. In ipso confisi ad eum pervenire desideramus, in quo jam resurreximus & revixímus, jam in cælum conscendimus, & in cælestibus considemus. Sicut primus Adamus factus est in animam viventem, ita novissimus Adamus in Spiritum vivificantem.

Habuit enim Dominus substantialiter Spiritum Sanctum sibi unitum, per quem & propriam carnem vivificavit, & nobis incorruptibilitatem donavit. Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum Christi in nobis. Sumus enim membra corporis Christi per corporis ejus & sanguinis pretium redempti. Christus redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus, resurrexit à mortuis, ut discipulis probaret, quæ docuerat, vera esse exemplo in se ostenso: resurgens autem confregit portas mortis, & resurrectionem præstitit universis. Resurrectio Christi, qua tartarum aperuit, defunctis est vita, peccatoribus venia, & cunctorum redemptio populorum. Si Christus non resurrexisset, neq; mortem vicisset, & omnes adhuc obnoxii essemus pœnæ peccatis nostris debitæ. Postquam vero à mortuis resurrexit, mors absorpta est in victoria, quam Deus nobis

bis dat per ipsum, Christus enim mortuus & resuscitatus est nostra justitia resurrectio, victoria & vita. Christus rex gloriæ, fortis & potens, Dominus virtutum, pauper voluit apparere, ut destrueret & solveret opera superbientis diaboli, superbientis seculi, superbientis carnis, & mortis grassantis. Mortem tulit innocentissime, ut gloriosus victor mortis à morte resurgens nos, qui sub jugo peccati eramus ad cælestia regna vocaret, & salvos faceret. Ejus glorioſa nativitas, doctrina, miracula, fructus benedictissimæ passionis ejus, spes resurrectionis nostræ, futuræ gloriæ pignus, omnia resurgente Domino revixerunt cum illo. Resurgamus & nos à vitiis nostris & à morte peccatorum nostrorum, & convificati cum Christo in novitate vitæ ambulemus Spiritum Sanctum habentes Doctorem, ut in altera mereamur resurgere cum Christo ad vitam æternam. Nam beati & sancti sunt, qui habent partem in resurrectione prima, quia in

illos secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi. Resurrectio mortuorum & vita æterna piorum & credentium in Christum erunt portio post hanc vitam, qui in præsenti calamitosi & injuriis obnoxii sunt. Impii in hac vita mundi opibus & potentia fruuntur, quibus sæpè utuntur contra pios. Sed infelicem felicitas impiorum brevi habebit exitum, & homines pii Dei patrocinio freti, qui in hoc mundo infeliciſſimi creduntur, & maximè omnium hominum miserabiles essent, si in hoc seculo duntaxat fixam in Christo spem haberent, æternæ salutis participes ac vere beati reddentur. Christus enim in adventu suo accepto ventilabro purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum: paleas autem exuret igne inextinguibili. Impii resurgentes audient in extremo judicii die contra se judicialem sententiam perpetuæ condemnationis. Illucescet & obtinget piis inenarrabilis gloria cum perpetua

petua & incommutabili beatitudine gaudioq; conjuncta. Christus Dei Filius agnoscet eos fratres & cohæredes, & pretium sanguinis sui offeret cælesti Patri, ut constituat super omnia bona sua. Spiritus Sanctus Charitas Patris & Filii in æterna beatitudine eos conjunget, ut diligant Deum plus quam se ipsos, & invicem tanquam se ipsos, & Deus illos plus, quam illi se ipsos, quia illi illum per se & invicem per illum, & ille se & illos per se ipsum. Carnis igitur vox & resurrectio ejus de corpore intelligenda, non anima, quæ cum non moriatur, neq; resurrectione opus habet. Ut autem anima liberè ad Deum evolare possit, deponendum hic pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum, quæ impugnant & aggravant eam. Corpus vero propter peccatum morti obnoxium & corruptibile oportet induere incorruptibile, & absorberi mortalitatem nostram in immortalitatem, ut resurrectio nos ad beatam

vitam, quæ sine immortalitate esse non potest, perducat. Mors subintravit, ut culpa cessaret, & ne naturæ finis esset in morte, data est nobis à Christo, qui est Dominus vitæ & mortis, resurrectio. Non solum enim anima, sed etiam caro nostra salvabitur, anima per cognitionem Dei, caro per resurrectionem, cujus flos est immortalitas & incorruptibilitas. Christus nullum suorum membrorum desiderabit in resurrectione, nec animæ piorum desiderabunt sua corpora, quæ ut in terra habuerunt consortia afflictionum, ita in cœlis à consortio gaudiorum non separabuntur. Et mares & fœminæ resurgent, quia & hæ sunt bona pars Ecclesiæ, & cohæredes vitæ æternæ, quippe quæ per generationem liberorum salvantur, si in fide manserint. Nuptias negavit Dominus in resurrectione futuras non fœminas, & qui utrumq; sexum instituit, utrumq; restituet. Nec alia aut dissimili forma homines resurgent, quam viventes habuerunt. Nam

&

& Christus eodem illo corpore, in quo passus est, eadem forma ac statura, qua mortuus est, resurrexit. Resurgent corpora, & animæ redibunt in corpora, & spiritus hominis Deo piè subditus habebit feliciter sibi subditum corpus, neq; homo vivet vitam naturalem, qualem nunc, sed spiritualem, qualem Angeli. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate: seminatur in ignobilitate, resurget in gloria: seminatur in infirmitate, resurget in virtute: seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, potestate utiq; non natura, & tanta erit concordia carnis & spiritus, vivificante Spiritu sine sustentatione alicujus indigentiæ subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos. Non indigebit homo amplius cibo, potu, ac somno, sed renovabitur in spiritum vivificantem & redibit ad imaginem Dei, justus, sanctus, sapiens, sive similis Deo, ab

intra

intra ex solo Deo, non ab extra victurus, sic tamen ut carnem habeat, & ossa, & non sit mere spiritus, ut Angeli sunt. Auferetur corporibus in resurrectione tarditas non integritas, necessitas non voluntas, ut ibi sine temporis mora aut impedimento corporis sint, ubi esse voluerint, atq; eò sequatur sine ulla difficultate spirituale jam corpus, quocunq; ire voluerit spiritus angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Incorruptibilia & immortalia corpora tam pii quam impii habebunt, verum dissimilis eorum status & vitæ conditio futura est. Piorum enim vita erit beata, impiorum infelix, utrorumq; duratio perpetua & sempiterna. Perfundentur dulci Deo dicata pectora gaudio, addicentur justo supplicio impii, & incorruptibilitatis honos fomentum & viaticum illis erit suppliciorum & vindictæ: vita, sine fine mori, & mors, vivere pœnis. Quod Deus dedit verbum, & præcepit exercitium verbi, quod man-

mandavit Sabbathi sanctificationem & cultum suum, quod tam eminens culmen authoritatis Christianæ fidei toto terrarum orbe diffusum cernitur, restare vitam post hanc vitam, & hominem non esse conditum ad temporalem vitam, sicut reliquas bestias, arguunt. Particularia quoq; resuscitatorum exempla universalis resurrectionis certissima sunt testimonia. Nunquam enim tanta & talia pro nobis divinitus acta fuissent, & agerentur, si morte corporis etiam vita animæ nostræ consumeretur. Stat fixum, & cunctis manet invariabile seculis, quodcunq; Dominus sancto ore protulit, & nullum unquam verbum ex vaticiniis hactenus à Deo editis in terram cecidit. Quamobrem nec ea, quæ implenda restant, videlicet de resurrectione mortuorum, de novissimo judicio, de impiorum damnatione, de piorum & electorum beatitudine cadent irrita, quoniam summæ veritati, quæ DEus

est,

est, innituntur, qui omnia sciens, ea, quæ scribi jussit, impleri oportere sancivit. Credendum prædicenti, quem neq; impotentem, neq; mentientem credere possumus. Multas quidem & lubricas cogitationes, spes inanes, & turbidos æstus nos sentimus in cordibus nostris, sed consilium Domini manet in æternum. Jam hic in baptismate figuram resurrectionis nostræ videmus, in altero seculo ipsam resurrectionem visuri. Ipsæ etiam ingentes ærumnæ, afflictiones, & assidui dolores in homine ostendunt, mentis nostræ præstantiam non tantum ad has miserias & caducam hanc vitam nasci, sed restare alium portum, in quo piæ mentes redditæ corporibus suis in Deo acquiescent & lætabuntur. Totus mundus anxiè expectat tempus illud, quo ii, qui filii Dei sunt, manifestabuntur, & parturientis in morem finem laborum indesinenter optat. Non minus omnes christiani portiunculam aliquam Spiritus habentes intra se gemunt,

munt, ut palam fiat, esse se filios Dei per adoptionem, expectantes redemptionem corporis sui. Considerandum hoc omnibus, qui diligunt vanitatem & quærunt mendacium, & recta fugientes, deteriora sequentes vitam beatam in regione mortis inveniri posse existimant, ne pro parvis, mendacibus, ac falsis bonis, quæ citò avolant, amittant felicitatem perpetuam pænamq; incurrant sempiternam. Post consummationem enim seculi, quod, qui non credit, cum dispendio salutis suæ experietur verissimum esse in extremo judicii die, veniet tempus, quod nos per mortem in hac vita à se invicem separatos iterum junget, & quo congregabuntur ante Christum omnes gentes, & audient vocem illius fideles in resurrectionem vitæ, infideles in resurrectionem judicii. Adducet Dominus Sanctos suos in visionem paternæ gloriæ, & faciet eos in cælestibus considere, ut sit Deus omnia in omnibus, impii traditi in potestatem dæmonum

ibunt

ãbunt cum ipsis in ignem æternum. O quantus tunc erit timor & tremor? quantus erit fletus & gemitus? Si cæli non sunt mundi in conspectu ipsius, & in Angelis reperit pravitatem, quanto magis abominabilis est & inutilis omnis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem, & quanto plus peccat, tanto amplius sitis peccandi in pectore ejus exardescit? Si judicium incipit à domo Domini, quis finis erit illorum, qui non credunt Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impii & peccatores, qui non continuerunt animum à seculo, ab inerti voluptate luxuriæ & delectatione libidinis, ab inexplebili habendi cupiditate, à fastu elationis & immani feritate superbiæ, & à veneno curiositatis, ubi remanebunt? Nisi Christus, cui proprium est misereri & parcere semper, à longinquo stantes, venientes tamen per pœnitentiam in hac vita nos gratia sua apprehendat, & osculo pacis excipiat, suæq; Majestatis dexte-

dexteram nobis labentibus supponat, actum erit de nostra salute, & miserabiliter cogemur mergi in profundum. Quis enim sibi tam confidit, ut, si Christus mentem non sustineat anxiam, ob sua nefaria facta acerbum non horreat exitum severum hoc cogitans judicium? Sive igitur læta sive tristior sors nobis obveniat, semper vita à nobis ita instituenda est, ne Dei nostri obliviscamur, & amaritudo futuri judicii unquam recedat à memoria nostra. Quicquid facimus aut agimus, omnibus horarum momentis tuba terribilis extremi judicii, qua mortui revocabuntur in vitam, sonare debet in auribus nostris, ut illa excitati nobis ipsis & viribus nostris diffisi ad clementiam & misericordiam Dei confugiamus, ac toto corde contremiscentes nos vulneribus unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi ad extremũ usq; vitæ nostræ halitum animosa fide includamus. Vulnerum Christi recordatio in cordibus nostris

stris operatur displicentiam peccatorum, fugam malarum ac turpium cogitationum, veram consolationem & pacem cum Deo, ut illi firmiter credere possimus. Vulnera Christi plena misericordia, plena pietate, plena dulcedine & charitate absorbent omnia peccata nostra, & viam nobis aperiunt, qua præsenti, laboriosa, corruptibili, & omni amaritudine referta vita in spe ac patientia piè transacta, & bono fine terminata, per glorioſam lætamq; resurrectionem ad cæleſté ſempiternam vitam miſericorditer pervenimus. A vulneribus & morte Chriſti totius ſaluris noſtræ ſpes ac fiducia dependet, quoniam quam certa eſt mors carnis ejus, tam certa eſt vita animæ noſtræ, quæ id credit, & nihil tam ad mortem amarum, quod morte Chriſti non ſanetur. In vulneribus Chriſti dormimus ſecuri, & requieſcimus intrepidi, & mors Chriſti meritum noſtrum, & refugium noſtrum, ſalus, vita, & reſurrectio noſtra eſt: meritum noſtrum, miſe-

miseratio Domini. Non sumus meriti inopes, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit, cujus mors justificatio peccatorum nostrorum profuit, antequam fuit.

De signis præcessuris extremum diem.

Caput XXX.

NOvissimũ diem scimus venturum, quando venturus sit, ne Angeli quidem in cælo sciunt: solus Deus arcanum hoc sibi reservavit. Utiliter autem ignoramus, quando venturus sit, ut ad ultimum judicium subeundum semper paratum cor habeamus benè vivendo, & non solum non timeamus venturum illum diem, sed amemus, non tam solliciti de ultimo nostro judicii die, quam de ultimo nostræ vitæ die, secundum quem judicabimur. Quoniam mors omnibus instat, neq; spacium vivendi & annos vitæ habemus à Domino consignatos in membrana,

brana, ut scire possimus, qua hora velut à texente tela vita nostra succidenda sit, de somno surgendum & vigilandum nobis est, si volumus æternam obtinere vitam & gloriam. Christus semper præ oculis gerendus, vita hæc caduca despicienda, corde ad beatorum felicitatem properandum, ad illam totis viribus contendendum, & quò magis Christo Domino subjicimur, eò majorem nos mercedem ab ipso accepturos confidendum. Spem enim immortalitatis & vitæ melioris à Christo habemus, ad quam non nisi per mortem & infinita pericula transferimur. Etsi impiis hic benè est, tamen tandem ruunt in æternum exitium. Qui enim in delitiis vivunt super terram, lascivientes, & enutrientes corda sua in diem mactationis velut pecora, regnum cælorum non ingrediuntur. Pii etsi affliguntur, tamen arcana vis numinis eos sustentat, & tandem cum gloria suscipit, ac in æternam quietem introducit. Adamus, si in

si in animali sua vita, quæ creata erat ad imaginem Dei, mansisset, in terra suaviter & cum summa voluptate vixisset, & de animali vita sine ulla molestia ad spiritualem transiisset. Eam vitam nos hebetes, stupidi, & in peccatis mortui per mortis Christi beneficium expectamus, sanguine Christi babentes corda mundata à peccatis, & per baptismum abluti corpus. Ideo non est, quod contristemur de morte nostra aut extremo judicio, scientes, & nos post hanc vitam cælestem & æternam victuros, si non tam metu pœnarum, quam amore Dei à vitiis abstineamus, & in fide ac bona conscientia ad extremum usq; perseveremus, non dubitantes de salute nostra, sed accurato studio providentes, ne malignus & maleferiatus spiritus profundiore peccati somno immisso palmam salutis nobis intervertat. Standum & perseverandum usq; ad mortem, & in morte ipsa orandum & ad Deum suspirandum, ut det nobis bona sua, qui

non

non dedignatus est mala suscipere nostra, & adornet cordis nostri lampadem, ne lumen fidei cordis nostri deficiente oleo extinguatur, & una cum stolidis virginibus audiamus: Amen, amen dico vobis, non novi vos. Deus gloria nostra abscondit thesaurum suum, ut incitet cupidum, recondit margaritam, ut augeat quærentis amorem, differt dare, ut doceat petere, dissimulat se petentem audire, ut faciat perseverantem, incipientibus quærere promittit, sed non nisi perseveraturis salutem tribuit, & cum omnes virtutes in stadio currunt, sola perseverantia bravium accipit. Qui enim certat, non coronabitur, nisi legitimè decertaverit. Felix & prudens, qui talis studet in vita esse, qualis optat in morte inveniri. Nam non potest malè mori, qui benè vixit. Qui vero benè vixit, & benè mortuus est, salvabitur, & in felicitate æterna eum inveniet mundi novissimus dies. Signa extremum diem præcessura hæc fere recensentur, quæ

quia

quia pleraq; completa, generatim tenendum, non longè illum abesse, sed præ foribus astare. Erunt prodigia in cælo & in terra, quibus Deus iram suam & venturam miseriam prænuntiabit & ostendet. Sol author & princeps diei convertetur in tenebras, & luna lucens nocti in sanguinem, antequam veniet dies ille magnus & illustris. Falsi Doctores, quorum sermo ut cancer serpit, & modicum fermenti totam massam corrumpit, miris modis perturbabunt Ecclesiam, ventri potius suo, quam Filio Dei servientes. Antichristus sedebit in Ecclesia, & in ea tyrannidem suam exercebit, attollens se supra omne, quod dicitur Deus aut Numen, quem Deus conficiet Spiritu oris sui, & abolebit claritate adventus sui. Erunt tempora periculosissima, & corruptissimi mores in omnibus ordinibus, & multi deficient ab agnita veritate, ambulantes juxta concupiscentias suas. Bella & rumores bellorum, pestis, fames, seditiones, terræ

motus, horrendæ tempestates ante novissimum diem omnia crebriora, quam antehac unquam conspicientur & grassabuntur. Erunt homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes, bonorum proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam Dei, habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint. Summa quoq; erit & stupenda impiorum securitas, quæ tanquam prodromus solet universales clades, calamitates, & devastationes præcedere, propter felicissimum eorum successum contra Evangelium & pios id profitentes, nihil minus quam de adventu Christi cogitantium. Sed cum dixerint, pax & securitas, repentinus eos supervenient interitus, sicut dolor in utero habentis, & non effugient. Nos autem & nos, qui sumus filii lucis & dici, non noctis & tenebrarum, impa-

rati

rati opprimamur, vigilemus & cauti simus omni tempore, orantes, ut digni habeamur effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis, & facientes mandata lætemur præsenti gratia, & spe futuræ gloriæ exultemus. Præstat enim vivere in timore Dei & orare, quam metu futurorum evenzuum discruciari, & quotidianis afflictionibus alias easq; intempestivas addere. Inprimis cum Dominus nobis bellum, famem, pestem aut alias publicas calamitates minatur vel etiam immittit, detestantes atq; abjicientes peccata nostra conjunctis animis & precibus nos eum invocare oportet, ut in ira sua recordetur misericordiæ suæ, & parcat nobis, sicut Niniviris pepercit, atq; auferat à nobis immissum flagellum. Vera tristitia de commissis olim peccatis dolet, quæ si prorumpat in lachrimas, eo magis peccator luctu levatur. Servi Dei etsi tristes videantur, nihilominus fruuntur interiori gaudio præstantiore exterio-

ri. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pænitentiam in ſalutem operatur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur. Poſſideamus & nos animas noſtras in patientia, & nihil nobis triſte accidere poſſe reputemus præter peccata noſtra, propter hæc doleamus, propter hæc contriſtemur, & nihil aliud plangamus præter peccata noſtra. Habent lachrimæ ad nihil aliud utiles hoc donum, ut, ſi pro peccatis fundantur, ſint maximè utiles, & remiſſionem peccatorum à Deo impetrent. Nihil miſerius homine non miſerante ſe ipſum, & non flente mortem ſuam, quam ſibi ipſi infligit non amando Deum. Externis rebus, quæ extra nos ſunt, non malè neq; inſolenter utamur, ne è cæli faſtigio à mundana ſecuritate & vanitate detrahamur. Mundi gaudia & voluptates ſunt diaboli venena, quibus ille occidit animas noſtras, ut vera venena corpora, Volentes de iis forinſecus facile evane, ſcimus imagines eorum famelica cogitatione

tatione lambentes, donec fatigemur inedia, & revertentes Domini vultum quæramus. Deus vero gaudium verum est nobis subditis sibi, & ipse nobis subjecit, quæ infra nos creavit. Superbè contra ipsum surgentes, & currentes adversus Dominum in cervice crassa scuti nostri, tumore nostro separamur abs illo, & etiam ista infima à Deo nobis subjecta supra nos fiunt, & nusquam est laxamentum & respiramentum, nisi redeamus ad Deum, & stemus atq; solidemur in ipso, forma nostra, veritate ipsius, purgati & liquidi igne amoris ipsius. Ambulare intus cum Deo, nec aliqua affectione teneri foris, genuinus status est interni hominis. Cælum enim & terra nihil nobis offerunt colendum præter unum Deum, & quicquid Deus non est, nihil est, & pro nihilo à nobis haberi debet. Magna gratia Dei est, & Spiritus Sancti opus in nobis, cor habere amplum & dilatatum cælestibus, crescens indies in vera pietate ac bonis operibus, &

terrena veluti stercora æstimans, ut summum, immensum, æternum bonum lucrifaciat. Qui vero dicunt Deo, recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus, diligentissimi in acquirendis temporalibus & negligentissimi in amplectendis cælestibus, semper per extrinseca gradientes & umbratili felicitati inhiantes, in momento ad infernum descendunt, & foras à facie Dei & consortio omnium Angelorum & Sanctorum projiciuntur, ubi miseratilis fletus & stridor dentium in perpetuum, & malorum omnium summa erunt atq; extrema. Si credimus futurum judicium, bene vivamus imitantes eum, quem colimus, & horrentes fellea peccatorum pocula læti bibamus sobrietatem Spiritus, ne male moriamur, & æternum inextinguibili siti cruciemur. Occasio facit furem: proinde, si volumus evitare laqueos diaboli, fugiamus occasiones peccatorum, recedamus à consortio impiorum, declinemus colloquia prava, quæ

corrumpunt bonos mores, caveamus ab ignavo ocio, & abstineamus à crapula, ebrietate, & seculi cura. Venter enim cibo distentus & mero æstuans facilè expumat in libidinem, & anxia hujus vitæ sollicitudo multa damna & mortem infert, &, quod maximum malorum est, cor gravat, ne spiritualibus vacet. Sic infelix vita infelici terminatur exitu, & infeliciſſimo initio succedit apud inferos æterna damnatio. Ad indignum aliquod facinus aut flagitium non Indiis utrisq; nos conduci patiamur. Nam lucrum in arca, damnum in conscientia, & lucrum ex scelere, arrha est infortunii. Væ illis, qui deceptione mercedis egrediuntur à præceptis Dei, & in omne scelus abducuntur. Deus à nobis non plus exigit quam dedit, & magis cor quam opus nostrum respicit, modo ex animo de nostra imperfectione doleamus. Si non servandus, qui dicit Domine, Domine, sed qui facit, quod vult Pater, profecto velle nostrum operum

loco esse oportebit, faciendiq; studium faciendorum vices supplere. Compellit Cæsar sibi reddi tributum: Deus vero liberam vult & voluntariam servitutem. Si autem salutis fiduciam collocemus in operibus, opera ipsa quantumvis bona nobis vertuntur in damnum. Ad glorificandum Deum & inserviendum proximo à nobis requiruntur, ut sint testes fidei, & signa ac indicia gratitudinis nostræ, non causa regnandi. Fide enim non operibus justificamur. Si propriis passionibus, afflictionibus, aut meritis nostris vitam æternam consequi possemus, Christus frustra pro nobis mortuus fuisset. In eum credentibus reputatur fides illorum ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei: bonorum vero operum à Deo mandatorum præcipuus finis est, ut per ea Deus honore afficiatur, & nos certam faciamus vocationem & electionem nostram. Bona opera enim facientes rectam insistimus viam haud facilè lapsuri, & abundanter nobis

nobis ministrabitur introitus ad æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi. Qui firmiter credunt, operantur secundum ea, quæ credunt, & ostendunt ex operibus fidem suam, quæ non est interius, ubi opera non apparent exterius. Beatus, qui nullum grave peccatum habet in conscientia, & vel sub ictu mortis animum convertit à vitiis. Severa Dei ultio, dum vivimus, facilè ad misericordiam flectitur, tempus judicii dehinc erit, ubi à damnatis flecti non poterit. Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia. Nam omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes, & pœnitentia nunquam est sera, modo sit vera. Vera autem est, quando sic pœnitemus, ut nobis amarum sapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita, & quod prius nos oblectabat in corpore, ipsum nos crucier in mente. Si nos ablutos

per talem pœnitentiam invenerit noster novissimus dies, ablutos etiam coram judice nos constituet mundi novissimus dies. Ex fine enim suo Deus unumquemq; aut justificat, aut condemnat. Propterea non dubitandum, circa finem hominem justificari posse per pœnitentiæ compunctionem. Ubi enim vera pœnitentia est, ibi & remissio peccatorum. Ubi remissio peccatorum, ibi gratia Dei. Ubi gratia Dei, ibi Christus. Ubi Christus, ibi ipsius meritum. Ubi Christi meritum, ibi satisfactio pro peccatis. Ubi satisfactio pro peccatis, ibi justitia. Ubi justitia, ibi læta & tranquilla conscientia. Ubi tranquillitas conscientiæ, ibi Spiritus Sanctus. Ubi Spiritus Sanctus, ibi tota sacrosancta Trinitas. Ubi sancta Trinitas, ibi vita æterna. Cum maximo tamen damnationis periculo conjunctum, omnem suæ salutis curam differre in horam extremam, & prava atq; perversa in tempore non corrigere. Morte enim appropinquante stupore magno

magno perterriti sæpè non possumus una hora facere, quod nobis tantoperè à Domino commendatum est. Quare etsi bona est ad extremum conversio, longè tamen melior ante finem agitur, ut ad vitam securius transeatur. Ante senectutem curandum, ut benè vivamus, in senectute, ut benè moriamur. Qui recedit à Christo & alienus à gratia finit hanc vitam, in perditionem vadit. Sed non in id, quod remissum est, cecidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter posteriora peccata ea morte afficietur, quæ ei propter ea, quæ remissa sunt, debebatur. In rebus turbidis & adversis non statim concidamus, sed fortiter usq; sustineamus, & à malis, turpibus ac malignis semper abstineamus. Ita enim fiet, ut nec adversis dejiciamur, nec prosperis corrumpamur, sed æquam meminerimus mentem rebus in arduis servare, non secus in bonis ab insolenti temperatam lætitia. Rebus in angustis animosi atq; fortes appareamus, sapienter ii-

dem contrahamus vento nimium secundo turgida vela. In sustinendo & abstinendo omnis moralis disciplinæ vis posita est, & in utraq; fortuna nos rectè gubernandi scientia. Sapientis animus ad utrosq; casus aptus est, bonorum rector, malorum victor, ipse fingens sortunam sibi. Quod vero præcipuum & firmissimum æternæ beatitudinis fundamentum est, credamus in Christum Filium Dei & Salvatorem mundi, qui est justitia & sanctitas nostra, quam nobis promeruit in cruce expansis manibus propter mortalium omnium redemptionem hauriens calicem passionis, conjungamur ei per fidem tam arcte, ut nihil nos possit ab eo unqvam avellere, animoq; tranquillo vitæ beatæ commoda præstolemur. Non enim est alia spes nobis ac refugium nisi in Jesu Christo Domino nostro in cruce pendente, patiente, moriente, resurgente & mirabili gressu in virtute sua ascendente, atq; ad dexteram Dei Patris sedente. Christus ex

mera

mera misericordia, cum adhuc inimici ejus essemus, in cruce passus pro nobis redemit nos in sanguine suo & morte sua inferorum horrores subiit, ut nos inde liberaret, & resurrectione ac ascensione sua nobis paravit cæli hæreditatem. Mendax est omnis homo, qui non credit Christum daturum quæ promisit, sed diffidit ejus promissis: extremè improbus ac ingratus, qui non curat suscipere profundam benignitatem ipsius Si autem illud factum est per Christi mortem, quid non fiet per ejusdem vitam longè morte potiorem? Quia vivit Christus, mortuos quoq; vivificabit, & vocabit, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Qui nos eruit morte sua à Diabolo, vita sua in die judicii liberabit ab æterna damnatione, & reformabit corpus nostrum abjectum, ut fiat conforme corpori suo glorioso Ipse est via, veritas, & vita, via in exemplo, veritas in promisso, & vita in præmio. Si quærimus illam viam, quæ est via perfecta, & credimus

veritati, pervenimus ad vitam æternam, paradisi gratiam, Dei regnum, Angelorum consortium, immortalitatis domicilium, post hanc vitam miserrimam, quæ cum esse desiit (breve enim est omne quod finitur) non fuisse putatur, omnibus piis paratum. Mirabilis sanè immensa potentia Dei est, sed multo mirabilior misericordia Dei propter Filium promissa, cujus participes efficimur per fidem in ipsum. Sicut Deus Pater nihil habet charius in cælo atq; in terra unigenito Filio, ita nullum testimonium excelsius, illustrius, certius & efficacius charitatis suæ erga nos & ad consolandum nos in terroribus mortis atq; peccati nobis exhibere potuit, quam unigeniti Filii datione. Agnoscamus inenarrabile hoc Dei beneficium cœli generi humano præstitum gratis animis, & omnes ac singuli amplectamur missum ab illo Filium nobis paratum, promissum, propositum & datum

datum Salvatorem, redemptorem, & propitiatorem, quem qui habet, vitam habet, qui non habet, neq; vitam habet, sed ira Dei manet super eum. O quam beati erunt, qui spem collocant in Filio Dei non deserente in se sperantes usq; in finem! Qui bonus & justus est, desiderans vitam æternam, illius frequentius meminit, quam præsentis vitæ, quod hæc velut rapidissimum præterfluit flumen, illa immortalitatem secum ferens finem non habebit. Ideo preces suas & gemitus quotidianos ad Deum dirigit, ut spiritus mereatur post mortem, ad cælestem feliciter transire. Nam bona, quæ verè bona sunt, nec fine tenentur, semper habet, quisquis semper habere cupit, & si manetur in eo, quod creditur, pervenitur ad id, quod videtur.

De

De Extremo judicio.

CAPUT XXXI.

IN novissimo die ignis à Deo descensurus est, & devoraturus omnes Ecclesiæ hostes, eoq; totam hanc mundi pulcherrimam machinam conflagraturam, & in nihilum rediturum, quod fuit ante nihil, sacra scriptura non uno in loco testatur. Communis mundo superest rogus ossibus astra misturus canit Poëta, incertum, qua Sybilla vel oraculo edoctus. Neq; enim ullus erit vel hujus vel alterius mundi usus post hanc vitam, propter hominem, ut sit ad tempus ejus domicilium & hospitium, creati, sed tam pii quam impii ingredientur æternitatem vel cælestem, vel infernalem, & illos Christus secum habebit in cælo, ut videant gloriam ipsius, hos diabolus in infernali abysso, ut æternam ignominiam cum ipso luant & percipiant. Cælum autem & infernus non sunt in mundo, sed extra mun-

mundum. Deus, qui molem mundi produxit ex nihilo, ut esset, eandem rediget in nihilum nutu suo, ut amplius non sit. Nihil fuit ante principium dierum, nihil erit post finem illorum. Mundus, qui sine tempore esse non potest, & totus ordo hic rerum valdè bonarum modis suis peractis transiturus est, & homo permanebit solus ad vitam æternam creatus, liberatus, vocatus, & de resurrectione ac glorificatione sua Dei promissionem habens. Cæli in morem procellæ transibunt, elementa solventur, terra operaq; quæ in ea sunt, exurentur, & à conspectu venturi judicis ita fugient, ut locus eis amplius non inveniatur. Antiqvum iterum chaos repetent omnia, nullas ferent undas vada, neq; ulla ramos eriget tellus, neq; exustus aër pascet aligerum genus. Sic Deus in ultima tempestate consummationem faciet cunctis habitantibus terram, & per eum virum, quem excitavit â mortuis, & ordinavit judicem vivorum ac mortuorum,

rum, judicabit orbem terrarum cum justitia. Dominus enim noster Jesus Christus, qui sedet ad dexteram Patris Omnipotentis, inde venturus est, ut judicet vivos & mortuos sententia finali & definitiva, per quam impii ad supplicium æternum condemnabuntur, pii in plenam cæli & vitæ æternæ possessionem mittentur. Christus injustè judicatus constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum, ut judicet orbem terræ in æquitate, & populos in justitia, cunctis orbis incolis daturus æqua justis præmia, & facta puniturus impia. Nam Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio, in cujus pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. In primo adventu Christus venit pauper, ut nos ditaret, sedens supra asinam, non ut judicaret mundum, sed mundus per illum salvaretur, non ut sibi ministraretur, sed ut nobis ministraret

straret in peccatis nostris, daretq; animam suam in redemptionem pro multis. In secundo adventu sive extremo judicii die veniet glorioſus judex ad judicium ſuum exercendum, ſedens in throno Majeſtatis dexteræ Dei ſingulari ſplendore & infinita potentia, perſtrepente horribilem in modum tuba Dei, & ſignum dante univerſalis interitus, excidii & conflagrationis mundi. Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usq; in occidentem, ita erit adventus Filii hominis. Vox audietur magna, cui omnia obedient elementa, quæ petras ſcindet, inferos aperiet, monumenta franget, & videbit eum omnis oculus cum incendio flammæ, & millibus ſanctis ſuis, quos aſſeſſores habebit. Talis apparebit judex, qualis videri poſſit ab eis, quos coronaturus eſt, & ab eis, quos damnaturus. Cum enim viſibile ſit futurum judicium, convenit, ut & judex ſit viſibilis, in aſſumpta nimirum humanitatis natura.

con-

conſpiciendus ab univerſa carne. Forma ergo Filii hominis videbitur, occulta erit Dei. Neq; enim iniqui & impii Divinitatem videre poterunt, alioqui beati eſſent, vel in raptu de Dei viſione gauderent, quod repugnat eorum damnationi perpetuæ. Cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, videbimus eum, ſicuti eſt, & apparebit in nobis, quod erimus, quoniam ſimiles ei erimus, & cum illo apparebimus in gloria, & ſatiabimur in deſideriis noſtris. Qvæ certè egregia conſolatio eſt, qvod penes eum judicium futurum ſit, qvi nos in judicando honoris conſortes jam deſtinavit, & à quo non niſi ſalus nobis expectanda venit. Neq; enim Chriſtus condemnabit eos, quos ſemel in clientelam ac fidem ſuam recepit. Quin potius promiſſionem, qua nobis per Evangelium æternam beatitudinem promiſit, & diſpoſuit regnum cæleſte, tunc ratam judicando eſt facturus. Qui enim credit in Chriſtum, non judicabitur, qui non credit, jam judicatus

catus est. Qui in re Pater Filium suum judicem constituens conscientiis suorum tenore judicii trepidis consulere voluit. Stabunt tunc justi in magna constantia adversus eos, à quibus pressi fuerunt, & qui abstulerunt labores illorum. Impii videntes terribilia, quæ evenient, turbabuntur timore horribili, nec coram mœstos attollere vultus, nec miseri audebunt justæ se adjungere turbæ. Latere illis erit impossibile, apparere intolerabile. De omnibus hominibus, justis & injustis, vivis & mortuis, eorumq; operibus bonis vel malis judicium hoc futurum est. Nemo illud effugere poterit, sed unusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, & qui peccavit, reportabit peccatum suum, nisi in hac vita pœnitentiam egerit. Nullum bonum factum relinquetur irremuneratum, nullum malum factum præteribit impunitum. Judicium faciet gestorum quisq; suorum, cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt. Quicqvid in occulto

occulto est, & quod nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur, & quicquid hic dissimulando palpamus, totum illic vindex flamma comburet. Ignis ubiq; ferox ruptis regnabit habenis. Reddenda erit unicuiq; nostrum ratio in hoc extremo judicii die de quocunq; verbo ocioso, quod locuti fuerimus, & quicquid seminaverit homo, illud & metet, qui per carnem, de carne metet corruptionem, qui seminaverit per spiritum, de spiritu metet vitam æternam. Peccata sua etiam occultissima nemo celare poterit, quoniam, quocunq; vadimus, conscientia nostra nobiscum est, secum portans diligenter notata, quæcunq; in ea posuimus sive bona sive mala. Singulorum enim animis dictorum factorumq; conscientiam inscripsit humani generis author, quæ nihil aliud est, quam cordis scientia, & domesticum quoddam tribunal nullis verborum technis circumscriptum. Divina quadam vi fiet, ut cuiq; ope-

ra

ra sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, & excusset vel accusset scientia conscientiam, atq; ita simul & omnes & singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit, quod in ea quodammodo legitur, quicquid à faciente recolitur. Accusabuntur & damnabuntur in extremo judicii die impii, quod contra suam scientiam & conscientiam proni fuerunt ad ea, quæ si examinentur, cum homine è diametro pugnent, & ab hoste naturæ profecta esse ipsa nostra ratio, ipsa natura clamat. Qui vero securam habebunt conscientiam nullius sibi peccati conscii, mundati ab omnibus peccatis sanguine Christi, securi adstabunt coram judice in hoc judicio. Satagamus ergo sine conscientiæ reatu inveniri, ut possimus securi ante judicem, arbitrum conscientiæ nostræ, cujus oculis omnia sunt nuda ac aperta, stare. Expurgandum

gandum vetus fermentum & purgandum cordis nostri habitaculum, & de peccatis admissis, quamdiu vixerim⁹, serio dolendum. Delenda per veram pœnitentiam peccata ex libro conscientiæ, ne in judicio ea legantur, & audiamus vocem divinæ sententiæ. Fugiend⁹ peccati reatus, ut conscientiæ effugiamus cruciatum. Vitando peccatum vivet anima nostra, quæ appetendo morietur. Quanto diutius nos Deus expectat, ut vitam emendemus, tanto districtius judicabit, si neglexerimus, nec ullus erit personarum respectus in extremo judicij die sed soli ibi locus erit justitiæ. Nam qualis quisq; hinc egreditur, talis in judicio extremo æstimabitur, & cui plus in hac vita commissum fuerit, ab eo plus exigetur. Idcirco hæc tria semper animo perpendenda, unde venerimus, quo venturi sumus, & apud quem vitæ ratio nobis reddenda sit. Ne autem juris severi trutina vita nostra expendatur, divinum auxilium implorandum, & piæ preces quotidiè

tidiè præmittendæ sunt, ut Pater cæle-
stis in extrema mortis hora liberet nos
ab hostis scelesti & dolosi malis arti-
bus, porrectaq; manu vinculis corpo-
ris solutos misericorditer eripiat sævis
inferni pœnis. Veniens enim in nu-
be serena veridicus judex Christus se-
parabit oves ab hircis, pios ab impiis,
& pios, qui omnes spes opesq; consti-
tuerunt in uno Deo, nomenq; ejus
sanctum invocarunt, collocabit ad dex-
teram, ut læti accepta salute gratias
agant, & in omne ævum salutis autho-
rem materiam lætitiæ suæ dignis lau-
dibus efferant: impios & malos scele-
rum sordibus contaminatos ad sini-
stram, ut lurido orco traditi æternis
cruciatibus torqveantur. Ecce Domi-
nus in igne veniet, & quasi turbo qua-
drigæ ejus, ut reddat in indignatione
furorem suum, & increpationem suam
in flammis ignis, quia in igne Dominus
dijudicabit, & in gladio omnem car-
nem, & multiplicabuntur interfe-
cti à Domino. Mali quoq; Angeli, qui

reliquerunt domicilium ſuum ad judicium magni illius diei vinculis æternis ſub caligine ſervantur: eorum turpitudo palam omnibus oſtendetur, & victi veritate ac potentia Chriſti poenter abjicientur in æternos cruciatus. Eandem infernalem domum diabolo & angelis ejus ædificatam Deus etiam damnatis hominibus conſtituit habitationem, ut cum illis habitent & crucientur, quorum viventes ſocii & imitatores fuiſſe reperiuntur. Juſto enim judicio Dei unusquisq; ſocius poſt hanc vitam conſtituetur ejus, cujus, dum vixit, ſocius fuit, & ejusdem culpæ rei ſui ſimilibus jungentur cruciandi. Dabit mare mortuos, qui in eo erunt, & mors ac infernus dabunt eos, qui in ipſis erunt, & judicabitur de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Accipient mercedem promiſſam Prophetæ & Apoſtoli, & ſancti, & timentes nomen Domini puſilli & magni, & quod illis hic fuit tormentum, ibi illis erit ornamentum: potentes vero po-

center

tenter tormenta patientur, & perdentur, qui perdunt terram. Omnes principatus, potestates, atq; virtutes, & mors novissimus hostis abolebuntur, & Christus tradet regnum Patri suo, & subjicietur ei, qui ipsi omnia subjecit, ut sit Deus omnia in omnibus, atq; ita omnia instaurentur per Christum, sive quæ in cælis, sive quæ in terra sunt, & Pater inhabitet omnem plenitudinem. Erit igitur ille dies omnium rerum finis, piis dies redemptionis, impiis æternæ damnationis. Illi cum Christo vitam æternam ingredientur, hi æternis pœnis una cum diabolis afficientur. Manet enim impiis apud Deum pœna inferni alta mente justissimè reposita, & piis mirabiliter & misericorditer, ipso faciente, societas Angelorum & Divinitatis gloria cum summa tranquillitate perfruenda promittitur & reservatur. Facilis est descensus averni; regnum cælorum vim patitur. Propterea sobriè, juste, & piè relictis pravis seculi consuetudinibus secundum

Evangelium vivamus, habentes beatam illam spem apparitionis gloriæ magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, ut, cum apparuerit (veniet autem sicut fur in nocte) habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in adventu ipsius, si jam hic possideamus per gratiam, quod in futura vita sumus possessuri per gloriam. Revocemus nobis quotidie in memoriam universale diluvium, & Sodomæ ac Gomorrhæ conflagrationem, non solum ut nos admoneant de hoc extremo Dei judicio, sed etiam cogitantes ultricis iræ pœnis scelera obruta discamus timere Deum, & ad tremendum hoc judicium pœnitentia & participatione sanctissimi corporis & sanguinis Jesu Christi nos præparare, Domini voci obedire, & ad ejus vocationem semper præsto esse. Nescimus enim qua hora nos Deus vocaturus sit. Ideo Christianos semper in procinctu stare & vigilare oportet, non in ea, qvæ futura & transitura sunt, sed in ea, quæ ante sunt, in

intentos, ut securi possint ex hoc seculo migrare, & pervenire in conspectum Dei, & recipere, secundum qvod in corpore gesserunt. Qvemadmodum stupidum membrum nihil sentit, neq; aliud illi restat præter abscissionem, ita ii peccatores, qvi peccata peccatis accumulant, & in peccatis perseverantes se putant salvandos, tanqvam stupida membra à corpore Christi abscindentur, infernoq; mancipabuntur. Qvi pura fide Deum orabunt, his veniam & pacem se daturum promisit, non durus unqvam parcere supplicibus, sanans languores & redimens de morte vitam eorum, ut coronet eos in miseratione & misericordia, & satiet in bonis desiderium eorum. Obstinatæ vero nequitiæ innumerabilia tormenta parata sunt, qvæ declinari non poterunt, nisi vera in hac vita ad Deum conversione & resipiscentia. Dixit Christus ad omnes: qui vult venire post me, abneget se ipsum, & qvotidiè tollat crucem suam, & sequatur me. Abnegant se

ipsos, qvi vilitatis ac indignitatis suæ memores ad Christum confugiunt, se ipsos relinqvunt, ut ipsum inveniant, mundi vanitates, delitias ac voluptates pro nihilo ducunt, ut salvent animas suas & vitam æternam lucrentur. Crucem suam qvotidiè tollunt, qvi qvotidie peccatis morientes carnem suam cum vitiis crucifigunt, qvæ qvo amplius mortificatur, eo amplius spiritus roboratur, & qvæcunq; accidunt adversa ad exemplum Domini sui patienter tolerant. Si & nos abnegaverimus nos ipsos, & proprio amori, honori, & voluntati renuntiaverimus, Christus Judex noster sui amoris, honoris, & voluntatis nos compotes faciet. Si qvotidiè resurgentes à peccatis nostris id, qvod magis amamus, & qvo maximè delectamur, iterum non commiserimus, sed cor nostrum fide & charitate pacificè continentes vitiis restiterimus multum fructum afferentes in patientia, Deum in Christo sentiemus placatum in extremo judicii die. Omnes

mnes in Christo Jesu ad unitatem vocati & unum sumus, membra unius corporis habentia unum Caput Christum, & unum Spiritum Sanctum habitantem in nobis; ut Deum piè sanctèq; colamus & Sacrosanctæ Trinitatis ineffabilem concordiam unitate fidei ac dilectionis, quoad licet, exprimamus, quò contingat & nobis in illius consortium aliquando asciscia. Christus se mansuetissimum ac patientissimum agnum exhibuit, ut & nos mansueti & ab omni ira alieni pacem inter nos colamus, & sicut ille passus est pro nobis, ita & nos patiamur cum illo ac pro illo, nec contristemur ob adversa. Christus dilexit nos, cum adhuc inimici ejus essemus, & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, ut & nos in Deo diligamus charitate vera non mercenaria omnes homines etiam inimicos nostros nos odio prosequentes. Ad ejus vitam nostram instituentes & in dilectione permanentes ma-

nemus in illo, & charitas Dei manet in nobis, & in extremo judicii die non timebimus coram ipso, certi nos esse filios Dei & hæredes vitæ æternæ. Gratia Dei in nobis efficit, ut, qvod depravata nostra natura fugit & abhorret, fervore spiritus fide armati & cruce Christi signati aggrediamur & diligamus. Idcirco humiliantes nos sub potenti manu Dei, & in veritate cognoscentes, à nobis esse, quod erramus, à Deo, quod resurgimus spiritu spem justitiæ expectamus in Jesu Christo Domino nostro, in quem credimus, & per quem aditum habemus ad Patrem cum fiducia, ut reportemus misericordiam, quæ à progenie primorum parentum usq; in finem seculi operatur in omnibus Deum timentibus & pænitentiam agentibus. Sicut enim pater miseretur filiorum suorum, ita Deus miseretur timentium se & pænitentiam agentium. Etiamsi mater oblita fuerit filii uteri sui, Dominus tamen non obliviscitur nostri, liberans nos in hac vita

ab

ab omnibus malis & inimicis nostris, à carnis fluxu, à mundi turbine, à seculi pompa, à Dæmonis potestate gratia sua, vitæq; hujus fabula peracta recto itinere dirigens nos in regnum suum, ubi gaudium erit infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo, quoniam ibi summum bonum possidebimus, quod est videre semper faciem Domini virtutum. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto nos securiores de æterna vita adipiscenda custodientes mandata, & quæ sunt placita coram eo facientes. Nam rectæ sunt viæ & mandata Domini Dei nostri, & justi ambulant in iis, non veluti prætextum malitiæ libertatem suam habentes, sed sicut servi Dei nunquam non benefacientes. Impii autem, quorum corda excæcavit diabolus incredulitate, & qui nolunt venire ad Christum, ut vitam habeant, deserentes ac negligentes mandata Dei, & desideriis

patris sui diaboli obsequentes manebunt in morte, & sine omni personarum respectu factis suis nequiter paratis condignis pœnis afficientur.

De Morte æterna.

CAPUT XXXII.

QValis qvisq; moritur, talis à Deo judicatur, nec potest mutari, corrigi vel minui Dei sententia. Sicut nemo beatorum damnabitur, ita quoq; nemo damnatorum salvabitur. Hæc est lex Evangelica, hic finis hominum ludentium in hoc mundo, quibus vel nulla vel minima cura est propriæ salutis, ac si non esset hæc firma stabilisq; Dei sententia. Nihil adeo horribile de morte, de judicio futuro, de inferni pœnis dici potest, quin longè majora hæc & horribiliora sint, quæ quotidiè cogitare & meminisse non sinit in Gehennam incidere. Sed homines vanis & terrenis occupati potius consuetudine quam desiderio proficiendi

ea audiunt, & non nisi carnalia sapiunt. Qui autem pigri sunt & dormiunt, sive dulci fortuna ebrii non cognoscunt miseriam suam, neq; quærunt regnum Dei, in magno suæ salutis periculo versantur. Projicienda sunt à nobis omnia seculi impedimenta, atq; festinandum ad visionem Domini ad dexteram Patris cælestis considentis, si volumus Dei evadere judicium & persequentes nos dæmones effugere. Nescit negligentiam vera pietas, & in bono proposito nihil periculosius socordia. Nam Dominus non torpore pressos, non negligentes, non oscitantes quærit servos, sed diligentes, vigilantes & properantes recipit. Idcirco non frigidè, sed ardenter salus nostra à nobis procuranda est: cætera autem remissius agenda. In veteri lege via, quæ ducebat ad salutem, obscurior erat, eam Christus nobis optimam & rectissimam ostendit. Ipse enim est via nostra, quam sequi, veritas, cui credere, vita, quam sperare debemus. Si desideramus

ramus ergo inseri libro vitæ, in quo Dei electi scripti sunt, & quem solus Agnus dicitur dignus aperire, & ne Angeli quidem inspicere possunt, quod Deus numerum electorum in sua unius potestate posuit, per sanctam patientiam rectà nobis ambulandum est ad Christum, & mens nostra solidanda ac fundanda in ipso, qui vita nostra est. Agenda pœnitentia peccatorum, ne tanquam hirci malè olentes propter peccata nostra, à quibus in hac vita non sumus mundati, in æternum separemur à Deo, & sanctis Angelis, & hominibus beatis, & conjiciamur una cum diabolis in stagnum ignis ad sustinendum ignis æterni pœnas. Cruciabuntur enim igne & sulphure damnati in conspectu Angelorum & Agni, & fumus cormentorum eorum ascendet in secula seculorum, neq; habebunt requiem die ac nocte. Erunt corpora eorum deformia & vasa ignominiosa, & pœnas luent æternas à facie Dei projecti. Foris enim canes, & venefici, & impudici,

dici, & homicidæ, & omnes, qui amant & faciunt mendacium, manebunt. Evidentia patrati sceleris non indigebit clamore accusatoris. Omnes infideles, injusti, & non renati, si in hac vita à peccatis non resipuerint, ibunt in supplicium æternum. Quin maximam partem hominum damnatum iri, historia diluvii, in quo octo homines servati sunt, & Sodomæ ac Gomorrhæ inflammatio, ex qua solus Loth cum suis ereptus est, innuere videntur. Quam multa sunt regna & provinciæ, quæ Christum Messiam & Salvatorem mundi non agnoscunt. Quam multi inter Christianos reperiuntur, qui errant circa fidem, qui perseverant in peccatis suis, & pro nihilo ducunt jurare, inebriari, superbire, avarum ac incontinentem esse, similes illis, qui carceri inclusi fætorem ejus non sentiunt. Quam multi animi palatum à pravis humoribus adeo habent corruptum, ut spiritualia non solum non gustent, sed fastidiant, longumq; illis videatur

deatur omne divinum officium, omnis concio prolixa, nihil invenientes in rebus divinis, quod illis sapiat. Vindicare injurias pro ratione vulgo receptum est contra Domini præceptum, qui jubet non vindicare: congregare divitias pro sapientia reputatur, cum Dominus congregandos in cælis, ubi arca securitatis est, thesauros & cor reponendū prædicet. Honores & dignitates ambitiosissimè quærere virtuti ascribitur, cum Dominus humilitatem sectandam moneat. Tam fædis erroribus à Sathana in mundum introductis homines occupati & excæcati cor semper pravis cogitationibus oppletum habent, ut non possint cognoscere diem visitationis suæ propter inveteratam peccandi consuetudinem, quæ difficillimè, & non nisi magna gratia Dei curatur. Peccata enim non remittuntur nisi pœnitentiam agentibus, quæ nunquam differenda aut procrastinanda à nobis est, propter summum periculum mortis, in cujus hora ubi ceciderit lignum,

gnum, ibi permanebit. Ad peccatorum remissionem per se ipsum faciendam venit Christus: pœnitentiam vero ab hominibus agendam docuit. Ejus est redemptio & remissio, nostra pœnitentia, quam qui non agunt, omnes similiter peribunt. Unde intelligi potest, longè quoq; à salute abesse fœneratores, pauperum oppressores, & orbis terrarum tirannos, qui iis, quos spoliant, non satisfaciunt. Vera enim pœnitentia non agitur, nisi ablatum restituatur. Qui vero amiserunt iniq; parta, ut reddere non possint, neq; tantundem dare, his propositum sufficit restituendi acturis seriam pœnitentiam, quæ semper cum dolore ob admissum peccatũ conjuncta est. Ut paucis multa comprehendam, præter pauciſſimos quosdam, qui mala fugiunt, quid aliud est totus cœtus Christianorum, quam sentina vitiorum? Expectat benignissimus Deus à nobis misericordiam, & ecce ubiq; friget dilectio, judicium, & ecce ubiq; dominatur iniquitas, justitiam,

tiã, & ecce ubiq; audiuntur clamores & querelæ, emendationẽ vitæ, & ecce vitam non emendamus, aut hodiè à vitiis surgentes, cras iterum cadimus in eis, & veluti infructuosæ arbores debitos vocationis nostræ & officii fructus non reddimus. Non igitur mirum, si maxima pars hominum damnetur, & ad infernum descendat, cum tam multos reperiamus socios peccati. Multitudo autem sociorum impunitatem non faciet criminum, sed magis aggravabit impiorum damnationem. Non enim in inferno (tam iniqua illius infelicitatis sors erit) sicut in hac vita, solatium erit miseris socios habere dolorum, sed ibi cumulus erit dolorum tot iniquorum esse socium, maximeq; illorum, quorum quis damnationis causa suo perverso exemplo vel doctrina extitit. Cur autem natura humana in omnibus non æq; justificetur, sive non omnes salventur, cum Deus omnes salvos fieri velit, nostrum non est disquirere, quod altitudo judiciorum

ciorum Dei humanæ intelligentiæ est impenetrabilis, & periculosum arcanum consiliorum Dei labyrinthum ingredi ac explorare velle non solum hominibus, sed etiam Angelis. Sicut non sunt neganda, quæ Deus manifesta fecit, ne in istis damnabiliter inveniamur ingrati, ita, quæ occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ne illicitè curiosi simus. Deus, apud quem non est iniquitas, & cujus universæ viæ misericordia & veritas, omnium hominum bonus conditor est, & justus ordinator, neminem indebitè damnans, neminem debitè liberans, nostra plectens cum punit noxios, sua tribuens, cum facit justos, ut obstruatur os loquentium iniqua, & Deus justificetur in sermonibus suis, & vincat, cum judicatur. Neq; ullum hoc nobis injiciat scrupulum, sed ad studium pietatis accendat omnes. Si enim judicia carnalium parentum erga liberos, & Dominorum erga servos libera sunt, nec justè reprehenduntur, multò minus de summi

Patris

Patris & veri Domini benevolentia à nobis dubitandum est. Misericors, pius, & clemens Deus, cujus miserationes sunt super omnia opera ipsius, potiùs quotidiè rogandus, ut nos custodiat ab omni animæ & corporis periculo, à subitanea ac improvisa mala morte, à Gehennalibus & intolerabilibus inferni pœnis, & det nobis perceptione sanctissimi corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi præparatis mori morte justorum, plenoq; sensu, fide recta, spe firma, charitate perfecta ex mundi hujus diversorio transire ad suavissimam cæli patriam gloriamq; sempiternam. Qui ex hac mortali vita in aliam perpetuo duraturam transiturus de viatico, ne deficiat in via, sibi in hoc seculo non providerit, in futuro non inveniet, qui sibi ferat auxilium, sed excluſus una cum stolidis virginibus oleum non habentibus à regno cælorum miserabiliter peribit. Ne tamen existimemus homines indistincte damnari ob carentiam Sacramentorum

torum ut & infantes, qui ante susceptum baptismum morte prævéniuntur, hæc regula tenenda est: Sacramenta data esse ad salutem illis, qui ea consequi possunt, non esse data ad condemnationem eorum, qui non possunt consequi. Præter infernum purgatorium quoq; esse in sanctis scripturis non invenimus, ideo neq; credimus, neq; ullum misericordiæ auxilium à justis posse præberi defunctorum animabus, etiamsi velint maximè justi præbere, immutabili divina sententia de illis jam prolata. Quibus enim peccatis anima egressa fuerit è corpore, in illis permanet, & uti nos invenerit noster ultimus dies, ita nos inveniet mundi novissimus dies benè viventes & morientes non in purgatorio, sed in felicitate æterna, male viventes & morientes in damnatione perpetua. Nulli ex inferno datur redemptio, & nihil coinquinatum ingreditur regnũ cælorum. Idcirco in hujus vitæ purgatorio peccata

cata purganda & vitia resecanda sunt, ne in judicio extremo separemur à beatis. Diaboli vero & impii in tartarum semel conjecti, & ad regna lucis egentia, quæ semper nubilus horror obsidet, tracti in æternum pœnas dabunt sensuri cruciatus, quales nulla hominum mens cogitatione complecti, nedum lingua effari potest. Nihil aliud ibi audietur nisi fletus & planctus, gemitus & ululatus, mærores & stridores dentium, nihilq; ibi videbitur nisi larvales facies tortorum, & teterrima monstra dæmonum. Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, & timor horrens. Non poterit ibi non esse magna deformitas, ubi omnium pœnarum erit calamitas. Nam in inferno tam in corpore quam in anima impii æternam pœnam patientur, quoniam in utroq; peccarunt, anima suggerendo, corpore consentiendo & peccatum exequendo. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermē. Corpus flamma, mentem aduret tristitia.

Dolor

Dolor erit intolerabilis, timor horribilis, fætor incomparabilis, mors animæ & corporis sine spe veniæ & misericordiæ. Sic enim morientur, ut semper vivant, debitas pænas in æternum sentientes, & sic vivent, ut semper moriantur, nunquam penitus deficientes, & ipsa pæna illos quodammodo generet, quo semper consumantur. Quærent mortem & non invenient, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Quemadmodum cadaverum omnium caro est cibus vermium, ita damnatarum animarum vita erit mortis esca, & ignis infernalis ideo sævior, quia vitæ parcet. Quicquid datum fuerit electis ad gloriæ augmentum, id omne cedet damnatis ad dolorum incrementum. Sic impios scelus ulciscetur suum, ex divite copia nil secum sub umbras ferentes, & stultitiam brevem æternum dolentes. Quod mirum nemini videri debet, pro temporali & brevissimo peccato pænam imponi æternam. Non enim temporis longitudine,

tudine, sed iniquitatis & impietatis magnitudine scelera sunt metienda, & quia per peccatum offenditur Deus, qui Majestate est infinitus, pœna quoq; peccati est infinita & æterna. Hac ipsa ratione etiam Christus Patri infinitam obedientiam exhibuit, ut nos salvos faceret, qui nisi pro nobis satisfeciisset, omnes perpetuo damnaremur. Quamvis peccatum usq; adeo voluntarium malum sit, quod nostro nobis jumento arcessimus, ut nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium, omnium tamen malorum, morborum, & infirmitatum nostrarum gravissimum est. Nam lethali morbo infirmum tangens reum perpetuæ inferni pœnæ constituit, quo nihil miserabilius cogitari vel dici potest, & nisi à solo Deo curari vel dimitti nequit, qui ad illud curandum suum unigenitum misit Filium, extra quem nulla salus nobis miseris relicta est. Quos à pœna peccati infinitum sanguinis Christi Domini nostri

stri pretium in extremo judicii die non eximet, aut præstabit immunes, cum omnibus diabolis æternum punientur. Ad justitiam enim pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato, & in tenebris maneant, qui æternam lucem honoris & gloriæ non quæsiverunt. Adversitates & afflictiones, quibus in hac vita corripimur & de peccatis nostris admonemur, non sunt vera mala, sed potius salutaria remedia pios à peccatis suis resipiscentes præservantia ab æterna damnatione, impiis in Christum non credentibus aut pœnitentiam non agentibus, neq; in hac vita proficua, neq; in altera profutura. Oportet enim justos & sanctos in hac vita tentationes perferre, & per cruces ac molestias cum Christo in æternæ vitæ requiem ingredi, ne se extollant, & in superbiam incidant. Iniqui & increduli in peccatis suis ad extremum usq; perseverantes in diem judicii

dicii cruciandi reſervantur, nec ſufficit illis temporalis pæna, quoniam ſe non converterunt ad Dominum, & pœnitentiam egerunt, ſine qua nemo ſalvari poteſt. Tentationes malis ſicut ignis fœno ſunt: piis tanquam ignis auro ſunt, & licet Deus affligat juſtum cum impio, non tamen id fit ſine æquitate & juſtitia. Nam miſeriæ impiorum ſunt pœnæ graviſſimæ irati Dei, ſed piorum afflictiones ſunt illis ſalutares propter ſpem liberationis & fruitionem æterni gaudii & glorificationis cum Chriſto. Flagellat Deus filios ſuos averſos, & donat peccata converſis: relinquit peccatores ipſius bonitatem clementiam & charitatem non conſiderantes. Quemadmodum autem in cælo alius alio glorioſior erit, ita & in inferno alius alio miſerior. Omnibus quidem pœna erit perpetua, ſed non omnium erit inter ſe æqualis, uti neq; peccata ſunt æqualia. Nam ſemper minor in ignorante quam ſciente elucet rebellio. Ideo ſervus, qui cognovit

vit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit gravius. Qui vero non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit parcius. Mitissima omniũ eorum erit pœna, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt, & in cæteris, qui addiderunt, tanto tolerabiliorem damnationem unusquisq; habebit, quanto minorem hic habuit iniquitatem. Sed qui leviſſimè punientur, in inferno tantos sustinebunt cruciatus, ut ad eos universæ totius mundi calamitates, angustiæ, pressuræ & tormenta conferri nulla comparatione possint. Namquid gravius, quid tristius, quid acerbius esse potest, quam à Deo abalienari, & à dulcissima ejus facie, quam intueri gaudium est absolutum, eaq; privari chaos & horror æternus, abjici, gloriaq; cælesti excedente captum nostrum orbari? Quæ cum ita se habeant, nihil magis nobis curæ esse debet, quam ut separemus nos per fi-

dem & veram conversionem ab infelici impiorum turba, ne de plagis illorum & nos aliquid accipiamus. Hodiè si audiverimus vocem Domini, qua auxilium & misericordiam omnibus laborantibus & oneratis promittit, agnoscamus diem visitationis nostræ, & non obduremus corda nostra, nec tergum obvertamus Domino nos vocanti, sed sine mora veniamus & pœnitentiam agamus obedientes Evangelio & doctrinæ ejus. Mutemus hic vitam, si desideramus videre & ingredi vitam æternam, & Deum pio complectamur amore, divitem in omnes, qui invocant illum, & adeo misericordia exuperantem, ut & possit & velit salvare omnes illam ab ipso petentes. Ne turbemur de pretio, Christus semet ipsum tradidit, & acquisivit nos regnum Deo Patri, & sumus nos regnum ejus, si non regnet peccatum in mortali corpore nostro, sed spiritus in acquisitione vitæ. Per Spiritum consecuturi sumus vitam æternam, ideo sequamur eam

vitæ

vitæ rationem, quam Spiritus docet, & Spiritu ambulemus spiritu viventes. Accedamus certa fide ad Christum, & provocemus nos invicem ad Charitatem & bona opera. Si secundum carnem vixerimus, moriemur, & una cum diabolis in die iræ mittemur in stagnum ignis ardentis.

De vita æterna.

Caput XXXIII.

Miseri sumus, ubicunq; sumus, quamdiu hic sumus, quocunq; nos vertimus, nisi ad Deum nos convertamus, ut simus justitia ipsius in Filio unico, qui nos redemit sanguine suo, & abscondamur in abscondito vultus ipsius. Misera quoq; amara, ac tædiosa est brevis vita nostra, dum quotidiè multis peccatis inquinamur, passionibus irretimur, curis distendimur, curiositatibus distrahimur, vanitatibus implicamur, erroribus circumfundimur, laboribus atterimur, tentationi-

bus gravamur, metu exanimamur, delitiis enervamur, egestate cruciamur. Miser omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium tametsi pulcherrimarum extra Deum, & extra se. Nam & dilaniatur, cum eas amittit, & tunc sentit miseriam suam, qua miser est, & antequam amittit eas, quæ tanto minus flendæ, quantò magis fletur, & tanto magis flendæ, quanto minus fletur in eis. Puerorum nugæ à majoribus puniuntur, majorum negotia cum talia sint, majoribus pœnis plectuntur ferulis succedentibus, & nemo miseratur pueros, vel hos vel utrosq;. Nihilominus pleriq; mortalium in tantum miseriam hanc & corruptibilem vitam diligunt, ut, si possent hic semper vivere, regno Dei libenter carerent. Sed miseri deplorabunt aliquando hunc errorem suum, & in fine sentient ac experientur, quam nihili fuerit, quod amaverunt. Amissa enim per peccatum innocentia, in qua à Deo constituti sumus, simul perdidimus beatitudinem,

dinem, ad quam facti sumus, & nihil nobis præter miseriam relictum est. Abscessit, sine quo nihil felix est, & remansit, quod non nisi miserum est. Concipimur in culpa, nascimur in pœna, vivimus in miseria, & morimur in angustia. Quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus, & sedentes in tenebris & umbra mortis per tenebras ad tenebras ambulamus. Si quid arridet prosperum, pænè, priusquam tenetur, avolat, & qui ei innititur per amorem, cum eo defluit in mærorem, & vero amore non fruitur. Sub stimulis cupiditatum trahimus infelicitatis nostræ sarcinam, & trahendo exaggeramus, tabificarum cogitationum febribus semper æstuantes, & multos ac varios dolores insaniarũ nostrarum sentientes. Carnem curamus molliter, & pretiosis vestimentis exornamus, quam post paucos dies vermes sunt devoraturi in sepulchro, & animam sanguine Christi redemptam non adornamus bonis operibus, quæ Deo & Angelis e-

jus præsentanda est in cælis. Si ob aliquam causam amamus labilem hanc, mortalem, & caducam vitam, quanto magis amanda æterna, vera nostra patria, in qua semper cum Christo vivemus, & mori non timebimus. Quid pulchrius, quid dulcius esse potest, quam inter tenebras hujus vitæ multasq; amaritudines divinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicteneri, ubi vera sunt gaudia? Quoniam necessario nobis moriendum, & in hora mortis dimittenda omnia, quæ habemus, præparandum cor nostrum sponso Christo nos ad se vocanti, & spiritus eo dirigendus, quò iturus est, ut cum corpus devorari cæperit in sepulchro à vermibus, anima cum sanctis lætetur in cælis. Levanda facies nostra in cælum, & animus firmandus sancta spe & patientia, donec transeat iniquitas, & ira Domini, & dolores, labores ac mortalitas nostra absorbeantur à vita. Expectanda & avide petenda Domini mi-

misericordia à nobis in vitam æternam, ad inhabitandum beatissimam supernæ civitatis regiam, patriam nostram, matrem nostram, novam Hierusalem, civitatem sanctam, ubi nobis reposita est justitiæ corona, quam reddet Dominus in novissimo die omnibus, qui diligunt adventum ejus. Si hic piis studiis meditemur, quod illic futuri sumus, cognoscentes Deum Creatorem & benefactorem nostrum, & nos ipsos, in omnibus humiliantes & submittentes nos potenti manui ipsius, eiq; semper gratias agentes, in cælum nobis dabitur ascensus, in quo, qui minimus erit, majorem habebit sine dubio gloriam, quam si totum regnum mundi possideret. Scimus enim, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem habeamus, non manufactam, sed æternam in cælis, in qua sunt multæ mansiones ante conditum mundum destinatæ sub vexillo crucis Christi, quæ est

gloria nostra, in hac vita militantibus, & de hostibus suis carne, mundo, & Sathana triumphantibus. *Victores milites Christi post exantlatos brevissimæ hujus vitæ labores innumerabilibus donis cumulabuntur, nec quisquâ præteribitur aut negligetur, qui non coronabitur, nobile perpetua caput amplectente corona.* Non autem ejus assequendæ fiduciam nobis præbent merita nostra, sed Dei benignitas, quæ Filium suum nobis impendit, quæ spiritum cælestem velut arrhabonem hujus felicitatis impartit. Memores ergo vocationis nostræ & finis vitam Domini nostri Jesu Christi nobis proponamus, & sanctam ejus doctrinam inspiciamus, illiq; nos conformare, quamdiu in vita sumus, studeamus. Inhæreamus capiti nostro, & amplectamur Salvatorem nostrum, qui omnibus recedentibus nos non relinquit, nec patitur in fine perire. Militemus sub illo duce bonam militiâ retinentes fidem, spem, charitatem, & bonam conscientiam,

tiam, si volumus ab illo coronari, atq; una cum illo vitam æternam ingredi. Quotquot enim Christo nomen dederunt, regnum Evangelicum pro sua virili amplexi & professi, & veluti germani ac obedientes milites studuerunt ea facere, quæ divina summi Imperatoris dictat voluntas, non ad quæ sollicitat cupiditas, persuasum habentes Deum nihil velle, nisi quod optimum est, ad æterni regni possessionem admittentur, & reportabunt finem fidei suæ salutem animarum, sive vitam æternam, quæ solis beatis Angelis & piis hominibus contingit, non brutis, non diabolis, non impiis, quod illa intelligentia carent, hi æternis pœnis addicendi reservantur. Christus ipse absterget omnem lachrimam ab oculis beatorum, sublataq; omni rebellione spirituum & malarum cupiditatū ex mundi hujus regno selectos in regnum Patris sibi cohæredes cooptabit, ut sicut Pater in Christo, & Christus in Patre unum sunt, sic illi omnes unum sint in

Christo, & sicuti Christi regnum omnium seculorum regnum est, & nunquam deficit, sic neq; illi unquam deficient cum Christo in illo regno regnaturi. Mors enim ultra non erit, nec persecutio, neq; tentatio diaboli, neq; molestia, nec ullum omnino malum, neq; querelæ, sed totum corpus Christi simul agglomeratum capiti suo regni cælestis felicissimo consortio, nullo malorum admixtione vitiato, perfruetur. Ibi, quod nunc credimus, revelatis tandem oculis adspiciemus, quod nunc speramus & à longinquo salutamus, apprehendemus, quod nunc pro viribus nostris desideramus, ulnis animæ nostræ amplectemur, & per Christum, quem in hujus vitæ periculoso pelago in auxilium advocavimus, sine naufragio ad perennis requiei portum & optatum littus perducemur. Fidei succedet visio, spei apprehensio, & dilectioni perfecta & perpetua fruitio. Ibi constituemur in vera libertate sine omni gravamine mentis & corporis.

Ibi

Ibi inveniemus pacem solidam & securam, pacem intus & foris, pacem ex omni parte beatam, pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum, & qui in hoc seculo quotidiana bella & maxima infortunia experti sumus, ibi gaudebimus & solatia reportabimus. Contemplabimur regnum Dei sine vicissitudinis umbra, & habebimus in eo, omne quod voluerimus, omne quod desiderare poterimus, sine omni timore amittendi id, quod tenebimus. Pii Christi milites de morte translati ad vitam & immortalitate donati similes erunt imagini Christi, de perpetua immortalitatis suæ constantia securi & gaudentes, & vitæ hujus malis erepti, atqi à tyrannide diaboli ac impiorum liberi convallem hanc lachrimarum intueri vel reminisci ulterius non dignabuntur. Sol justitiæ mira suæ pulchritudinis visione omnes reficiet, & universos patriæ cælestis cives illuminabit, ut luceant lumen illuminatum per divinũ lumen, illuminans eos ultra omnem

solis splendorem & stellarum claritatem. Non quidem suapte natura, sed ab anima beata redundante splendore corpora quoq; beatorum fulgebunt. Sicut Christus est in gloria, ita beati etiam suam gloriam, honorem & pulchritudinem habebunt, induti vestimentis albis & stola candida, liberi à misera servitute vitiorum, atq; ab omni peccato. Neq; enim quis volet, neq; poterit malè vivere in illa societate & consuetudine cum Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo, & Spiritu Sancto, & sanctis Angelis, quorum nobis societas à Christo repromissa est, & omnibus hominibus beatis, ubi quod Rex regnantium, & Dominus dominantium præcipiet, respublica exequetur, & quod respublica appetet, id concedetur à Rege. Quod unus voluerit, id approbabunt cæteri, quod ratio dictabit, id perficiet voluntas. Nemo vero volet, nisi quod justum, rectum, sanctum, & supremi Domini voluntati conforme. Erit vita æterna tabernaculum

culum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populi ejus erunt, & ipse cum eis erit Deus ipsorum. Illinc fatiscent mentium caligines, quæ modo sub tenebris pectora nostra premunt, vultuq; purus radius effusus Dei lumine nos puræ cognitionis alet, & ab omni parte faciet beatos. Patebunt arcana divinitatis, Patris potentia, Filii sapientia, Spiritus Sancti benignitas & clementia, & unius summæ Trinitatis una & individua essentia. Videbitur & amabitur Deus amore magno, & ipso beato, & hæc visio & delectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Misit enim Deus Filium suum in hunc mundum, quo redimeret servos, Spiritum Sanctum, quò servos adoptaret in Filios: Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum Sanctum in privilegium amoris: se vero totum reservat in hæreditatem adoptionis. Angelorum & hominum communis erit omnium lætitia, unum gaudium,

unum

unum convivium. Cessabunt illic omnes necessitates nostræ, sponsalitia vacua erunt, cibus & potus ociosi, nulla ars, nulla scientia, neq; ullus nobis erit cujuscunq; necessarius usus creaturæ. Beatifica enim divinæ Majestatis præsentia omnibus erit omnia, & erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia & intelligentia. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis supereminens gloria, & superabundans lætitia, qualem neq; oculus vidit, neq; auris audivit, neq; in cor hominis descendit. Hæc beatorum erit incorruptibilis, incontaminata, & immarcessibilis hæreditas, hæc merces eorum, cum se sine nube menti pura Majestas dabit intuendam lumine puro. Sicut Deus magnus nimis, ita quoq; magna merces ipsius, quoniam non aliud est ipse, aliud merces ipsius. Ipse est promissor & promissio, ipse coronator & corona, ipse remunerator & munus,

nus, præmiator & præmium felicitatis æternæ. Nam visio Dei nostri tota merces est, totum præmium, & totum gaudium, quod expectamus, in quo totum invenitur, quod desideramus. Per se vita beata non est merces, vel præmium operum nostrorum, quia gratuitum Dei donum, promissum, non debitum. Eatenus autem veluti merces bonis operibus piorum promissa est, quatenus illa Deus tanti dignatur, non quod per se tanti sint, quæ cum Deus in nobis coronat, non nostra merita, sed sua in nobis dona coronat. Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Sicut Deus post opera sua bona valdè, quamvis ea quietus fecerit, requievit septimo die, ita & nos post opera nostra, ideo bona, quia Deus ea nobis donavit, Sabbatho vitæ æternæ requiescemus in ipso, & Deus requiescet in nobis, quemadmodum nunc operatur in nobis. Quanto plus aliquis Deo obe-

obediens fuerit in hac vita, tanto ampliorem ab eo mercedem in altera recipiet, quantoq; amplius amabit, tanto propius videbit, quem cernere cupit. Quisq; quantum maximè pro doni sui capacitate poterit videre Deum, facie ad faciem videbit Regem ac Patrem nostrum in decore gloriæ suæ, sicuti est. Videbimus faciem Domini virtutum, in qua sola consistet sempiterna gloria nostra. Videre enim faciem Domini vita æterna est, & gloria sempiterna sanctorum. Non tamen videbimus quantus est. Deus enim infinitus sibi soli & comprehensibilis & visibilis est, quantus est, non ulli creaturæ, major non solum intellectu cujuslibet beati, sed omnibus simul intellectibus beatorum. Videbimus plenè pro optima & perfectissima nostræ naturæ & nobis à Deo data ratione & capacitate, ut magis non possimus, neq; magis posse velimus. Videbimus in se ipso, videbimus & amabimus in nobis, quem cernere finis non erit. Videbimus

bimus Deum cognoscendo, amabimus diligendo, & laudabimus possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, quem redemit, ipse possessio felicitatis piorum. Et licet in illa beatitudine claritatis & gloriæ respectu alius alio donis præfulgebit, & quisq; suam differentem mercedem accipiet, prout multum laboravit, vel in hac vita multa toleravit, nulla tamen erit inter sanctos invidia, nullus zelus, nulla æmulatio propter diversum & disparem inter eos felicitatis gradum: sed ex ipsa donorum diversitate magis agnoscent immensam Dei sapientiam & bonitatem, propter quam congaudentes & conquiescentes unanimiter & concorditer una cum sanctis Angelis Deum trinum & unum in æternum laudabunt & glorificabunt. Laudabunt sanctè & purissimè, cum summa dulcedine, & ineffabili exultatione. Laudabunt sine fine, sine defectione, sine labore. Laudabunt, unde gaudeant, quia semper videbunt, unde gaudere valeant & laudare.

dare. O unicè optanda patria! ô desideranda civitas! ô totis viribus quærenda gloria! in qua Dominus noster Jesus Christus cum Patre & Spiritu Sancto à nobis & beatis Angelis collaudatoribus indesinenter laudabitur, benedicetur, & glorificabitur, & nos fulgentes sicut sol & stellæ in omnes æternitates, & ex æterna Dei visione omnibus bonis satiati ineffabili perenni gaudio fruemur. Ubi vero beatorum illa sedes futura sit, quam à damnatorum carcere segregatam fore historia sive parabola de divite epulone & paupere Lazaro satis superq; ostendit, definire in hac vita nemo potest, neq; ubi damnatorum locus futurus sit. Magnum chaos inter utrosq; firmatum erit, & latissima & altissima fossa intercedet, qualis ne quidem mente comprehendi potest, ut, qui voluntè cælo transire ad eos, qui in inferno positi sunt, non possint, neq; hi ascendere ad superos.

Epi-

Epilogus sive conclusio operis.

EX prædictis apparet, qua in re vera hominis sapientia & beatitudo posita sit, nimirum in vera Dei cognitione, & vero ejus timore, cultu, & observantia. Agnoscendus Deus ex verbo revelato. Unus in Essentia, trinus in personis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, creator, redemptor, & sanctificator noster. Postquam divino auxilio freti Deum agnovimus, ejus Majestatem, veritatem, æquitatem, beneficentiam, sapientiam & omnipotentiam elucentem ex miranda creatione & conservatione rerum, itemq; justitiam in fraudibus hominum ac sceleribus vindicandis, & ad voluntatem atq; nutú suum administrandis omnib⁹ memori mente recolamus, favorem & paternam benevolentiam nobis conciliemus, atq; in illo uno gaudeamus & exultemus.

Prin-

Principibus placere viris omnes ſtudemus, ſed non omnes poſſumus: Deo omnes poſſumus, ſi modo placere ſtudeamus. Nam qualis quisq; eſt, talem quoq; Deum erga ſe experitur, & quantus eſt in oculis Dei, tantus eſt, & non amplius. Deinde conſideranda immenſa & inenarrabilis ira Dei adverſus peccata, quæ non potuiſſet placari, niſi Filius Dei promiſſus ille mundi Servator veniſſet, ruptisq; vinculis peccati, mortis, ac inferni antilytron & victima pro nobis factus fuiſſet, & captivos in priſtinam libertatem reſtituiſſet: dulcior in eo, quod humilis, quam quod ſublimis, ſiquidem omnia, qvæ in carne pertulit tam dura tamq; indigna pro nobis ſuſtinuit indebitè, ut nobis hæreditatem immortalis vitæ noſtra culpa amiſſam redderet, & peccatorum noſtrorum mala nomina cumulatiſſimè diſſolveret. Nulla triſtitia locum poteſt habere in illis, qui in ſecreto cordis indeſinenter ad memoriam revocant, quod is, qui omnipotens

tens est, caro quoq; nostra est, & Frater, & qui conditor existentium, idem redemptor est pereuntiũ, qui nascens se dedit socium, convescens se in edulium, moriens se in pretium, regnans se dat in præmium. Efficacissimum & salubberrimum adversus totius mundi mala remedium est, intueri mentis oculis Dei Filium ex virgine Maria natum, pannis involutum, in præsepio reclinatum, à Sathana in deserto tentatum, sermone ac miraculis potentem, à scribis & pharisæis rejectum & contemptum, in horto de nocte prolixius orantem, sanguineum sudorem emittentem, triginta argenteis à Juda venditum, osculo traditum, cum gladiis & fustibus captum, ligatum, flagellatum, spinis coronatum, in veste alba ab Herode delusum, ab impiis militibus consputum & percussum, per ludibrium adoratum, ad instantiam Judæorum à Pilato ad mortem condemnatum, ad occisionem utagnum innocentem ductum, os suum, cum malè tractaretur,

&tacetum, non aperientem, cum accusaretur in multis, non respondentem, crucem suam bajulantem, in ea affixum pro crucifigentibus se orantem, aceto & felle potatum, à latrone fœdis convitiis laceratum, sanguinem suum per quinq; vulnera corporis effundentem, caput suum inclinantem, dilectam animam in manus Patris sui commendantem, in cruce expirantem, & hæc omnia pro nobis passum, ut cum illo æternum vivamus, firmissimè credere. Amore impulsus Deus venit ad homines, & homo factus est: Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis: Amore se humiliavit, ut quod superbia amisit, humilitas recuperaret: Amore corpus suscepit, tradidit, & sanguinem fudit, ut suo proprio corpore & sanguine pasceret nos oves suas: amore mortem oppetiit, ut nos æternæ mortiaddictos liberaret, & secum in regnum cæleste transferret. Verè magna Christus pro nobis patiens ac moriens in nos beneficia contulit,

sit, atq; abundantissimam contra peccatorum nostrorũ languores laborantibus ac oneratis medicinam paravit, ut eum Dominum Deum & Messiã nostrũ agnoscamus, quod qui non faciunt, nullam de peccatis suis excusationem habent. Chirographum enim decreti contra nos scripti per Christi passionẽ ac mortem delectum est, inimici nostri devicti, Deus nobis è potestate inimicorum nostrorum ereptis & in regnum cæleste translatis reconciliatus, peccata remissa, gratia data, & Sacramenta ex passione manantia, quibus omnium ipsius meritorũ participes efficimur, ad perpetuã nostrã salutem ab ipso Christo instituta sunt. Hanc ineffabilẽ Dei bonitatẽ, & misericordiã nunquã sinam⁹ ex animis nostris effluere, & per baptismũ regenerati ex aqua & Spiritu, & Ecclesiæ Dei inserti jam Patri, Filio, & Spiritui Sancto fidẽ habentes subinde peccata nostra, in quib⁹ concipimur, nascimur, & vitã transigimus, confitendo, de iis pœnitentiã agamus, dignos ea fructus

ctus afferentes, de præteritis peccatis habentes doloré,& â futuris summopere caventes, & in fide ſpe, ac charitate ambulantes, non noſtrã ſed ſolius Dei gloriam quæramus, ad ipſius legẽ Chriſtum ſequentes omnia conſilia & actiones noſtras conformemus, noſtraq; beneficentia & miſericordia Deum imitari ſtudeamus, qvæ de bonis noſtris egenis damus, Deo data credentes. Frangamus eſurienti panem noſtrum, & egenum ſine tecto inducamus in domum noſtram, nudum veſtiamus, domeſticos ſeminis noſtri non deſpiciamus, & opitulemur, qvemadmodum vellemus nobis opem ferri, ſi eodem modo indigeremus. Debetur enim miſericordia infelicibus, Eleemoſyna pauperibus, & tempeſtivum auxilium oppreſſis. Nos vero qvicqvid in miſeros egenos & afflictos impendimus, in Gazophylacium Chriſti, qvod ſunt pauperes, reponimus, non amittentes illud, ſed in cælum præmittentes, atq; theſaurizantes nobis bonum fun-

da-

damentum in futurum, ut veram vitam apprehendamus. Injusti durissimo immisericordiæ tumore inflati nil donant, & usq; fænerant: at justis de paupere sua sorte superat, qvod donent indigentibus, seræ tamen propagini larga non deest opulentia. Nec Deus unqvam obliviscitur misereri nostri, qvi cum posset omnes divites facere, aliqvos facit pauperes, ut divitibus serviant, aliqvos divites, ut pauperes alant, & utrisq; de victu ac amictu prospiciens in hac vita, post illam ex mera misericordia voluntatem ejus facientibus præstat vitam æternam. Qvemadmodum autem non obliviscitur misericordiæ suæ erga timentes ipsum, ita neq; obliviscitur justitiæ suæ in illos, qui negligunt ejus misericordiam intueri, & grati existere ejus beneficiis, debita obseqvia non reddentes. Agnoscamus nos ipsum Deum & Patrem nostrum, sine cujus providentia nihil fit in terris, in omnibus miseriisac necessitatibus nostris ad ipsum

solum clamemus, ab ipso liberationem, itemq; bona corporalia ac spiritualia petamus, & misericordissimo Domino nostro pro præstitis beneficiis creationis, redemptionis, sanctificationis, protectionis, & conservationis, indesinenter gratias agamus. Sic adhærentes Domino Deo nostro nihilominus præsentibus magistratibus sub qvorum potestate constituti sumus, pareamus, non tamen quicquam contra Deum aut conscientiã nostram propter ipsos faciamus. Cum enim constemus ex anima & corpore, &, quamdiu in hac vita temporali sumus, rebus temporalibus ad vitæ hujus sustentationem opus habeamus, oportet nos ex ea parte, qvæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus sive hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa vero parte, qva credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini idipsum in nobis evertere cupienti, qvod

qvod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Modus ille servandus est, qvem Dominus ipse præscripsit, ut reddamus cæsari qvæ sunt cæsaris, & Deo qvæ sunt Dei. Nam securè amamus, securè obedimus, cum citra Deum & dilectio & obedientia nostra suos habent terminos. In matrimonio & extra matrimonium castè vivamus, nemini scandalum demus, & assumentes regnum, qvod concuti non possit, ita colamus Deum, ut illi placeamus, cum timore, cum tremore, cum reverentia & religione. Ut reportare possimus immortalitatis gloriam, qvam Deus dabit his, qvi in fide perseverantes talentũ suum sive dona rectè collocaverint, maneamus in vocatione nostra, & spartam, qvam nacti sumus, omni studio ornemus. In ministerio publico constituti, ut qvam plurimos Christo adducant, non solum rectos & salutares adhibeant sermones, sed etiam emendatæ vitæ exempla. Nam inhabiles sunt ad docendum, quorum

vita despicitur. Qui præcipui sunt in Republica neq; ipsi divina præcepta negligant, & transgrediantur, neq; aliis, subditis ac civibus ea transgrediendi occasionem & facultatem præbeant, ut, quales rectores civitatis sunt, tales etiam sint habitantes in ea. Patresfamilias piè & modestè vivant, Deum ore & mente venerentur, principibus ac potestatibus obediant ad omne opus bonum parati, victum sine proximi læsione qværant, pauperum misereantur, injurias irrogatas oblivioni tradant, nemini suum auferant, omnibus benefaciant, cum omnibus pacem colant, & sic vivendum liberos & familiam instruant. In libertatem vocati sumus, ne peccatis subdamur, quæ tyrannicè nos premunt, tyrannicè subjugant, tyrannicè imperant, tyrannicè tributa exigunt, sed abjiciamus à nobis carnis & dæmonis jugum, scientes, ad omnem virtutem exercendam nos à Christo Domino libertatem nostram consecutos esse, & per miseri-

cor-

cordiam Dei salvari, ut bona operemur. Cum enim servi simus, illa diligere debemus, qvæ novimus Dominum Deum nostrum diligere, & illa facere, qvæ Domino placere conspicimus. Nunqvam, qvamdiu in hac miseriarum valle, in qva nulla est intercapedo molestiæ, constituti sumus, desinamus orare pro nobis & omnibus aliis hominibus, ut Deus pro infinita bonitate sua omnes actiones nostras felici successu prosperet atq; fortunet, & ipse æternus genus humanum fragile ac caducum misericordia sua complectatur. Sunt enim piæ preces velut spirituale qvoddam tributum singulis diebus à nobis Deo offerendum, in signum subjectionis nostræ, & ille nobis dat bona sua, & ostium divinæ gratiæ & æternæ salutis aperit, ut ingrediamur, si modo confidenter oremus, neq; de Patris exauditione neq; de Filii intercessione dubitantes. Nobis tacentibus loqvantur cogitationes nostræ, clament ad ipsum opera nostra,

clament affectus, clament passiones, clament sensus animi indices, clament omnia, sed conticescant crimina nostra. Sine intermissione orat, qui amans Deum & proximum, & fortiter vitam æternam desiderans nunqvam cessat benefacere, & Deus audit in occultis, qvi mundat in occultis. Sermo, qvi sola voce exprimitur, Deo non convenit, nec internus, si ex animi perturbationibus vitium contraxerit. Nihil enim materiæ est particeps, qvod non impurum sit materia carenti. Latratus canum, mugitus boum, & grunnitus porcorum Deo magis placent, qvam cantus & preces superbientium atq; luxuriantium. At confisa Deo nuda modestia æternum Domini animo non excidit, nec læto miserorum vera fide & profunda humilitate salutem animæ suæ postulantium spes precesq; frustrantur exitu. Qui Deum non invocant, trepidi sunt, ubi securi, & securi ubi trepidi esse deberent. Timent, ne bona hujus præ-

sentis

sentis caducæ vitæ desint, & nullus eis timor est de peccatis suis. Sanctorum vero securitas semper plena timoris Dei est, & bonæ conscientiæ in se testimonium habet. Eorum Deus venter est, & finis interitus; horum conversatio in cælis est, & finis vita æterna. Non vereamur qvoq; usq; ad mortem justificari, & ad Deum, à qvo quotidiè per peccatum recedimus, per salutarem pœnitentiam confestim reverti. Nam qvi agunt pœnitentiam, & credunt in Christum, ejus carnem edunt, & sanguinem bibunt, fidemq; suam invocatione, confessione, dilectione, tolerantia, & perseverantia declarant, post hanc vitam eos æternam ingressuros, & mercedem à Christo in æternum reportaturos tota Evangelii doctrina nos certos esse jubet. Originalem labem baptismo elutam statuamus, quæ nos peccata addidimus pœnitentia, absolutione, & quotidiana oratione deleta nobis persuadeamus, ne juventutis furores ac malefacta a-

nimam amplius terrefaciant, sed in Christum credentes, ejus justitia induti, & de Dei ignoscentia securi vitam æternam consequamur. Omnis Domini prædicatio & Apostolorum ejus huc deniq; redit, ut credamus in Christum Deum & hominem Salvatorem missum, pœnitentiam agamus peccatorum, & sani facti amplius non peccemus, ne deterius aliquid nobis contingat, & in bonis operibus, dum vivimus, nos exerceamus, sive, quod idem est, in fide stabiles, atq; in opere efficaces simus. Malitiosè in peccatis perseverantes & spaciosam pravam ac latam peccatorum viam ambulantes se ipsos in tenebris constituunt, & æterna beatitudine privant, humiliantes vero se pro delictis suis, remissionem peccatorum & vitam æternã consequuntur. Sale divini verbi condiuntur & renovantur corda nostra, ut durare in vitam æternam possint: adversitatibus à veterno peccatorum excitantur, ne obdormiscant in morte.

Au-

audientes enim & custodientes verbum Dei in cordibus nostris & patienter manum ejus ferentes, mortui in peccatis, convivificamur in Christo, & qvi opus suum in nobis cæpit, idem perficit, mittens Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater, pignus hæreditatis nostræ. Regnum Dei justitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto non est corporale qvid, non in urbibus habitat, sed in animis hominum, non in sermone consistit, sed in virtute. Intra nos habemus regni Dei inchoationem, si juste & pie viventes gratiam Domini possidemus. Justitia enim reddimur sancti, id est, fide, qua justificamur coram Deo, & pace cum fratribus, qvam qvi non habet, in maximo salutis suæ periculo vivit, & gaudio de consecuta remissione peccatorum per Christum, cujus author in nobis est Christus, qvi nos per peccati gustum à beatitudine privatos & damnatos ad societatem vitæ æternæ suo sanguine reduxit. Per hæc, nempè justi-

tiam, pacem, & gaudium ostendimus nos esse regnum Dei & servos Christi vitæ æternæ cum ipso & per ipsum participes, facientes voluntatem Patris cælestis, quæ fidem in Christum & novæ obedientiæ studium reqvirit. Pœnitentia delicta abolet, sapientia cavet, & bonis operibus studet, attamen legi Dei satisfacere non potest. Quocirca nemo ita insaniat, ut putet, se suis viribus posse assequi regnum cælorum, & se nihil debere, ne convincatur & obtineatur à callido accusatore diabolo. Sed unusqvisq; respondeat, se spem suam habere in Deo, & peccata vel debita sibi esse remissa ab eo, cui nemo reddet, qvod pro nobis non debens reddidit. Qvis enim ei refunderet innocentem sanguinem, qvem pro nobis effudit? Qvis ei pro nobis restitueret pretium, qvo nos emit? Ad ejus pretii Sacramentum vinculo fidei liganda est anima nostra. Nam qvi credit in Filium, qvi vicit seculum, & sedens ad dexteram Patris cæle-

cæleſtis interpellat eum pro peccatis noſtris, numerans nos inter infirma membra corporis ſui, habet vitam æternam: qvi autem eſt incredulus Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Qvi non credit Filium, non credit Patri, teſtis eſt ille de Filio. Qvi ergo dubitat de Filio, paterno non credit teſtimonio, ideo neq; Patrem poteſt habere placatum. Homo enim in peccato non ſolum conceptus, & natus, ſed etiam toto vitæ ſuæ tempore in incredulitate perſeverans, Chriſti & omniũ beneficiorum ipſius vel ignarus, vel non particeps factus, neceſſe eſt, ut Deum iratum habeat, cum omni remedio ipſum placandi deſtituatur. Etiamſi homo nihil ſibi ſit conſcius, non tamen in eo juſtificatur. Nam absq; Dei miſericordia, qvæ eſt in Chriſto Jeſu, nemo vivens juſtificatur in conſpectu ipſius. Credere nos vult Deus & profiteri, ſe ſolum verum, omnipotentem, juſtum, bonum hoc poſſe & feciſſe, qvod toti mundo

impossibile est, ut credentes salventur, incredvli damnentur, qvod qvi non credunt debitum Deo honorem non exhibent, blasphemi in Deum, & contumelioſi adversus Filium Dei. Credentes juvantur, ut in fide maneant, qvi non crediderunt, juvantur ut credant, & sicut illi in sua potestate habent, ut exeant, ita & isti habent, ne veniant. Ingratus Deo omnis cultus, qvi non ab animo volente procedit. Voluntarios Christus milites eligit, & voluntarios sibi servos diabolus auctionatur. Idcirco neminiad credendum vis inferenda, aut necessitas imponenda credendi, qvod nolit, aut non credendi, qvod velit. Nihil enim tam voluntarium qvam religio, in qva si animus aversus, jam sublata, jam nulla est. Cætera possumus nolentes, credere non possumus nisi volentes. Qvi autem credunt Deo, faciunt, qvod præcipit Deus, & qvi propterea faciunt, qvod præcepit Deus, necesse est, ut credant Deo. Janua Christus est, per

per qvem si qvis introierit, salvabitur. In illum non credens paganus, Judæus, vel Mahometanus, & pœnitentiam non agens peccatorum sordibus involutus Christianus ignorabitur, neq; ei aperietur. Qvicunq; igitur vult sapiens, felix, ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, & Sacramentum suæ nativitatis norit. In utraq; fortuna sive sit agendum, sive sit patiendum, in Deum potius qvam homines respiciat, & ab eo solo magnanima qvadam spe ac fiducia pendeat. In rebus prosperis se hominem variis casibus & innumeris miseriis ac periculis, nec non singulis horarum momentis morti expositum cogitet, atq; ita animum inflatum ac tumentem contrahat. In adversis neq; desperet, & animum abjiciat, neq; inconcessa auxilia qværat, sed ad Dei misericordiam confugiat, & patienter moram non fallentis auxilii perferat, fide promissionum Evangelicarum edoctus ac

tutus,

tutus, neq; vim, neq; fortunam adversam, neq; tumultus, neq; bella, neq; insidias, neq; venena, neq; pestem, neq; diabolum, neq; mortem ipsam sine voluntate Dei sibi nocere posse. Idcirco mortem suam perpetuo sic meditetur, ut peccatum potius fugiat, qvam illam metuat. Deniq; advenam se ac peregrinum in hoc mundo reputans, humana ipsa vanitate vaniora & transitoria bona contemnat, divina alterius vitæ bona nulli mutationi subjecta suspiciat, ut summum illud bonum, ad qvod natus est, possit adipisci. Deo Triuni Patri, Filio, & Spiritui Sancto, Regi seculorum immortali, invisibili, soli sapienti, sit laus, honor & gloria in sempiterna secula, Amen.

SE-

SEQVUNTUR TRIA CHRISTIANÆ FIDEI SYMBOLA,

Apostolorum.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qvi conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris, unde venturus est judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicã, sanctorum communionem, carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.

Nicænum.

CRedo in unum Deum omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.

Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre

tre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitũ non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterũ venturus est in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen.

Atha-

Athanasii.

QVicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Qvam nisi qvis integrã inviolatamq; servaverit, absq; dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur.

Neq; confundentes Personas, neq; substantiam separantes.

Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est divinitas, æqvalis gloria, coæterna Majestas.

Qvalis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut nec tres increati, nec tres immensi, sed unus increat⁹, unus imensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Qvia sicut sigillatim unamqvamq; personam Deum aut Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: Ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus nec genitus.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spi-

Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, nec genitus sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæqvales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda sit.

Qvi vult salvus esse ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem qvoq; Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, qvia Dominus noster, Jesus Christ, Dei Filius Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo ex ani-

anima rationali & humana carne subsistens.

Æqvalis Patri secundũ divinitatem, minor secundum humanitatem.

Qvi licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non confusione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

Qvi passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & de factis propriis reddituri sunt rationem.

Et qvi bona egerunt, ibunt in vitam æter-

æternam, qvi vero mala, ibunt in ignem æternum.

Hæc est fides catholica, qvam nisi qvis fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non potest.

Oratio pro impetranda remissione peccatorum.

DOmine Jesu Christe fons gratiæ & divinæ misericordiæ confiteor tibi omnia peccata & delicta mea, qvæ commisi coram te à die, qvo primum peccare potui usq; ad hanc horam, ut tu ea omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ, & deleas universas maculas peccatorũ meorum, & conscientiam meam emundes ab omni delicto, & restituas mihi gratiam tuã, quã peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo:

De-

Deprecor te, exaudi me propitius astantem coram te Deus meus, & humiliter peccata mea confitentē: Dimitte mihi Domine omnia peccata mea propter sanctū Nomen tuum, & sana animam meā, qvam precioso sangvine tuo redemisti. Ecce me committo misericordiæ tuæ, & resigno me in manus tuas. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam maliciam & iniqvitatem. Fac ut me totum tibi tradā, & jam ultra non in me, sed in te absq; omni sollicitudine vivam, qvi vivis & regnas cum Patre & Spiritu Sancto verus Deus in secula seculorum,

Amen.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0652
DFG

Errata sic corrigenda.

Pagina 10. linea 18. legendum nonnullorum p. 11. lin. 3. leg. ipsi p 31. l. 9. Hodiernus p. 37. l. 12. l. exerceat p. 48. l. 22. l. herbis p. 56. l. 23. l. intercipiunt p. 81. l. 1. l. cautus sit & p. 84. l. ultima l. rationales p. 93. l. 1. l. vident p. 97. l. 19. l. quotquot p. 100. l. 18. l. ipse p 101. l. 12. l comminuentur p. 107 l 18. l. neq; p. 121. l. 21. l. mortuus p. 143 l. 13. l. videmus p 181. l. 12. l. uritur p. 183 l. 14. l. accepit p. 207. l. 1. l. nostros p. 210. l. 2. l. emplastro p 219. l. 18. l. mutuum & l 23. l. nostram p. 220. l. 12. l. mortificatio pag. 229. l. 19. l. expoliandum p. 231. lin. 18. l. successores p. 232. l. 14. l. commendentur p. 241. l. 8. l. altercationes p. 256. l. 7 l. abyssus p. 263. l. 8. l. illum p. 287. lin. ultima inserantur hæc verba: dominetur in nobis, atq; una cum illo arctam p. 403. l. 19 l. Cavendum itaq; peccatum, cavenda magis in peccatis perseverantia, cavenda maximè consuetudo peccandi, nisi &c. p. 532 l. 24. l. volentes de iis gaudere forinsecus &c. p. 586. l. 11. l. illic teneri. Si quæ sunt alia facilè inter legendum æquus lector corrigere poterit.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786513969/phys_0654
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0655
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0656
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0657
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0658
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0659
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786513969/phys_0660
DFG


Errata sic co
Pagina 10. linea 1
nullorum p. 11. lin. 3.
Hodiernus p. 37. l. 12.
l. 22. l. herbis p. 56. l.
p. 81. l. 1 l. cautus sit &
l. rationales p. 93. l. 1.
19. l. quotquot p. 100. l.
l. 12. l comminuentur p
p. 121. l. 21. l. mortuus p
mus p. 181. l. 12. l. uritur
cepit p. 207. l. 1. l. nostros
plastro p. 219. l. 18. l. mu
nostram p. 220. l. 12. l. n
229. l. 19. l. expoliandum
l. successores p. 232. l. 14
tur p. 241. l. 8. l. altercati
l. abyssus p. 263. l. 8. l. il
ultima inserantur hæc ver
in nobis, atq; una cum illo
l. 19 l. Cavendum itaq; pe
da magis in peccatis perseve
da maximè consuetudo pe
p. 532 l. 24. l. volentes de iis
cus &c. p. 586. l. 11. l. illic
sunt alia facilè inter lege
lector corrigere po
mm
Inch
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document